COLAI

OPERA.

US V.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Liber

Novo Tacim

937/V

Henrici Nicolai

D. O. M. A.

MISCELLA THEOLOGICA.

De Sanctimoniâ, bonis operibus, loquendi & sentiendi modis in illis, & superstitiosis quibusdam festis, Ut Corporis Christi, Conceptionis & assumptionis Mariæ, & similibus.

Peculiari exercitatione Theologicâ strictim repræsentata.

Subjecta ad Calcem Operis

APPENDIX PHILOLOGICA, De Methodo Latinitatis pro provectioribus.

Quomodo commodiùs illis procedendum, ordine lectio Authorum occupanda, notata digerenda, ut ad usum ac prudentiam civilem aut spiritualem apparatus indè comparari queat.

AUTHORE

HENRICO NICOLAI,

Theol. & Phil. Professore.

ELBINGÆ.

Literis CORELLIANIS.

Anno à partu Virginis Matris,

M. DC. LIII.

ILLUSTRI AC CONSPICUÆ INDOLIS
ADOLESCENTI,
DN. CHRISTOPHORO IN LACHOWCE SIENIUTÆ, Hæredi in Tychomel, Kamien, Kobelin, Zduny, Jutrosin, Rudno, &c. &c. Amico singulari.

S. P. & largam DEI benedictionem.

QUæ ad vitæ societatem conferunt, *Illustris* SIENIUTA, pars spiritualibus impenditur, pars ad secularia apparatur. Vtroq; statu defectus sentitur: Vtriq; perfectione aliquâ medelam facere debemus. Altera ad cœlum, altera in seculi, dum hic degitur, rationem paranda est. Vtriq; acquirendæ Christianum illaborare æqvum est, Et cœlo quærendæ viæ, dum licet, ne æternâ illâ patriâ excidatur: Et ad civilem cultum sementem facere par est, ne in beluarum stuporem immortalem spiritum defigamus. Ad vtrumq; conducentia quædam *Miscellis bis* complexus sum. Quæ maximè TIBI, *Generose Adolescens*, è sangvine ad augusta nato, ab instituto ad vtrumq; cultum ducendo, convenire censui, cujus nomini nuncupentur. Indoles ea est, quæ ad utrumq; inclinat: *Ephorus* a. is doctrinâ prudentiaq; suppetit, Nobiliss. Krainscius, qui utriq; perfectioni annorum successu commodissimè TE immittet. Nam & sanioris doctrinæ spiritualis author esse potest, ut eâ prętet civilia apprimè delectatus: Et è Philologicis lingvam ac civilem prudentiam suggeret, quibus à longo jam exercitus. De animo autem dubitari non datur, quo tenerrimè te complecti persetiscis. Si quę viriliùs hic disceptata, quàm ætas capiat, blandioribus ducenda, ut domestici ac familiares solent: futuri anni ad sementem è talibus hauriendam, ductore egregio tuo Ephoro, viam complanabunt. Principio fortè non amæna illa videbitur: Salubriter tamen eripiet, ac in eum verticem educet, quorsùm plano non adiri semper licet. DEum autem vtriq; Vestrûm præstitem precabor, cujus benedictioni in utraq; viâ commissis propitiam in Christo salutem ex animo exopto. Elbingæ, 10. Calend, Octobris. Anno 1 6 5 3.

Illustri Nomini & studijs tuis
Addictissimus
Henr. Nicolai. Gymn. Prof.

LECTORI CHRISTIANO ET ERUDITO S.
Et Pacem Christi.

SEverè sub Veteri & Novo fœdere, Christiane & Erudite Lector, ab homine exactum reperitur, sanctum esse, prout DEUS sanctus est, Lev. 11. v. 44. C. 19. v. 2. C. 20. v. 7. Num. 15. v. 40. 1. Pet. 1. v. 15. 16. Id eâ necessitudine adstringit Novum Fœdus, ut sine sanctimoniâ neminem DEUM visurum esse asserat, Hebr. 12. v. 14. Nihilq; immundi Cœlum ingressurum profiteatur, Apoc. 21. v. 20. Sed si quis se ab inquinamentis emundaverit, vas in honorem sanctificatum futurum & utile Domino, ad omne opus bonum paratum, 2. Tim. 2. v. 21. Illustri exemplo magnus ovium Pastor, Christus noster, antecessit, qui separatus à peccatoribus, Hebr. 7. v. 26. Peccatum ipse non patravit, sed in Corpore suo super lignum pertulit, ut nos peccatis mortui justitiæ viveremus. Exemplum nobis relinquens, ut vestigijs ejus insisteremus, quomodo Petrus 1. Epist. 2. v. 21. seq. de eo loquitur. Unde colligi nobis paratum, sanctimoniæ doctrinam in Ecclesiâ Christianâ apprimè necessariam, praxin autem ejus seriò fidelibus commendatam esse debere. Practicarum enim rerum theoriæ sine exercitijs, velut campanæ sine pistillis censeri valeant. Non auditor legis, sed factor operis beatus in facto suo futurus est, è Christi testibus Jacobus C. 1. Epist. v. 25. pronuntiat. Nec auditores legis, sed factores justificari gentium Apostoli assertum est, Rom. 2. v. 13 Cum doctrinæ veritate vitæ sanctitatē conjungere Christiani professio debet. Ut rigori legis non satisfaciat: Obediendi tamen parendiq; norma lex à DEO data, ad quam acta componat & exigat. Felix, qui DEO authore se duci patitur: Nunquam ille seducitur. Tutò illi creditur, nam ipsa veritas; Obeditur, nam benignitas est. Potens, qui penset; Liberalis, ad vilia etiam muneranda, Matt. 10. v. 42. Benignitate non æquat modò vota nostra, verùm & spem superat. Propitio eo semper uti

daretur, si per impios Mundi mores liceret. At quotidiè benignum Numen asperatur, & in vetitum nefas sceleratâ libidine proruitur. Iussa omittimus: Probibita occupamus. Sæpè æstimatur non offensum, quia nondum deprehensum fuit iratum. Sanctimonia tot mandatis ingesta, vel labris geritur, vel ridetur, & in fanatismum accipitur. Sanè, quod frequens in spiritualibus vitium est, extremis aut sequioribus prudenter abstinendum sit. Nec sanctitudo velut nos non attinens suspendenda cum Libertinis, Atheis, Epicureis, *quorum cogitata* Jobi 21. v. 14. C. 22. v. 17. Psal. 14. v. 1. Ps. 53. v. 1. Sap. 2. v. 1. seq. & alibi. *Spiritus S. sistit: Nec ad justificandi coram* DEO *negotium ut causa aut medium attrahenda cum* Pontificijs, Arminianis, Socinistis, Fanaticis, Anabaptistis. *Distincta maneant, quæ diversa deprehenduntur, etsi subjectis conjuncta esse debeant. Sed & periculosi loquendi modi declinandi, qui extremis citiùs, quàm medijs nos inducant. Fallaces enim rerum species frequenter sunt, quibus confidimus. Veluti opera ad salutem necessaria, aut eò noxia dicere, extremis colliduntur. Medium in illis securius.* Hic de eo nonnulla consignata habes, Lector erudite. *Monita, si cavisse cures: Si deflexeris, præcepta. Edendi causa in cætero fuit, infrunitas linguas detergere, quæ bona opera me ad sal. nec. dicere mentiuntur. Oppositum in Iren. & defensione, p. 3. t. 12. professus sum. Phrasin absolutè damnare non sustineo, Cum partem de sensu veri trahat. Secùs falsimoniæ specie DEI veritas proculcetur. Id dilucidiùs hic promi vides. Sensum Enuntiatorum prudenter ubiq; eruere cura esto. Ne aut sine causâ metuere, aut in præceps detrudi necessum sit. Vtere nobiscum, si salubria videris, nec affectus sinister pro bono surrepat. Quòd si declinare censeas, revoca; ac imparatum robur solidiore monitione impensiùs formato. DEus pacis & Sanctimoniæ tecum ad justitiæ fructus in Christo edendos persistat. B. V. Elbingæ, 10. Cal. Octob. An. 1653.*

❧(o)❧

Auctarium ad Partem I.

AD *Objectiones* p. 1. *traditas* de Sanctim: *& hæc addi queat, quæ ibi omissa, & 16. objectio esse possit.* Si hæc phrasis, *Bon. op. sunt necessaria ad sal. non diligenter in Ecclesiâ urgeatur, totum studium b. o. vilescet, ad quod homines naturâ segnes sunt, satis incitari non possunt, ac validè impietas succrescet, ac Epicureismus invehetur. Fide enim homines se solabuntur, de operibus ne quidem cogitabunt. Quomodo clasicè jam olim hodieq; doctrinæ* Lutheri & Calvini à Papistis *objectum, quòd homines Epicureos reddat, bo. op. prohibeat, pietatem profliget, impietatem inducat & foveat, Sanctimoniæ necessitatem neget.* V. Bell. L. 4. d. Iustif. C. 1. 8. Censuram Colon. p. 169. seq. Stapleton. prompt. Dom. Septuag. Becanum p. 2. Th. Sch. tr. 4. Et Man. Contr. Valentiam anal. p. 213. Vlenberg. in causis defect. Gretserum in agonist. t. 219. Sartorium in motiv. Hagerum Coll. Au. Conf. a. 20. aliosq; *passim.*

2. R. 1. Si hæc phrasis, *b. o. s. n. a. sal. non usurpatur, Nec illa,* sunt necessaria ad hominem, qui salvari velit, *ut conditiones subjecto necessariæ, vel*

 neces.

neces. ad fidem ejus, quam necessariò comitantur, ut calor ignem, & à quâ abesse aut separari non possunt, vel ad ostensionem justitiæ ejus, tum omne studium bon. op. vilescet. Sed posteriores *diligenter usurpantur & inculcantur, à priore ob ambiguitatem ejus abstinetur, ne Causas aut media salutis constituantur, secùs & ea saniore sensu ferri queat,* t. 3. 11. *Et alibi.* 2. *Si* illa phrasis non usurpanda, nec aliæ Scripturæ phrases *hic usurpandæ, quibus necessitas Sanctimoniæ in homine exprimatur, quæ variæ sunt, quibus Operum necessitas ratione DEI, legis, nostri, proximi, mundi, angeli boni & mali, explicatur,* V. t. 3. *Tùm studium bonorum operum vilescere oportet. Sed* hæ posteriores *diligenter in Ecclesiâ retinentur & inculcantur, Et expressè ab* Aug. Conf. a. 6, 20. Apologia in resp: ad argum. advers. Form. Concor. in repetit. a. 4. alijsq; *libris docentur, & tàm theoria,* V. Philippum in Locis, Lutherum in Vis. Sax. Et T. 4. Ien. Lat. f. 165. *Ubi æquè necessarium dicit, doctrinam de bonis operibus urgere, ac doctrinam de fide, Cum utriq; Sathanas infensissimus sit, aliosq;* Scriptores Locorum Com: *tàm è* Lutheranis, *quàm* Reformatis, *quàm praxis, Vt Conciones, exhortationes, increpationes, exclusiones, excommunicationes,*

tiones, relegationes, supplicia, pœnæ, de necessitate doctrinæ hujus satis contestantur.

3. *Imò ex ipsis* Pontificijs *nonnulli fatentur, non excludere nos opera ab homine & fide, & si à salute exclusa velimus, Ut* Cassander a. 4. Consult. Bellarm. L. 4. d. Eccles. C. 9. Et L: 1. d. Iustif. C. 3. L. 3. C. 6. Et L. 4. C. 1, 7. Vega l. 15. de Iustif: C. 5. alijq; Raihingus *plerosq; Lutheranos bona opera ad salutem necessaria asserere ait* fund. 8. Civit. Sanct. *Quæ in contrarium è* Luthero, Calvino, alijs, *adducuntur, pleraq; calumniosè detorta sunt, Vt* Tr. d. Calum. Theol. t. 12. 20. 30. *deducetur.* 3. Si omninò *ex doctrinâ Evangelicâ homines impietatis occasionem rapuerint, vitio proprio id egerunt, & tàm non dogmati imputari potest, quàm nec doctrinæ Pauli & Apostolorum de solâ fide justificante non operibus legis, debet,* Rom. 3. 4. Gal. 2, 3. 4. *Unde plenæ impietatis occasio ab impijs rapta,* Rom. 3. v. 8. C. 6. v. 1. *Nec ob id dogma ab illis desertum, aut contrarium arreptum, aut mendacium cum vero commistum fuit. Nec mala agenda aut docenda, ut eveniant bona,* Rom. 3. v. 8. *Sed distincta distinctè tradenda, non confusè, Lex & Evangelium secernenda, quicquid de eventis hominum sit, quæ culpam peccantium*

um arguunt, naturam dogmatum non stringunt aut evertunt. Sat monitorum in Sacris ad bona opera est, *quibus qui non movetur, phrasi hac, Bona opera sunt necessaria ad salutem, moveri se non patietur. Pluribus* alibi, *Vt in* Loc. Comm. In Form. Concord. Apologiâ ejus, Colloq. Altenburgensi, *& similibus hæc deducta sunt.*

Catalogus sectionum Tractatus hujus.

D. O. M. A.

MISCELLA THEOLOGICA.

PARS I.

De Sanctimoniâ, bonis operibus, & loquendi modis in illis,

SUCCINCTA COMMENTATIO.

I.

ARticulus Justificationis & Sanctificationis s. renovationis *nexus ac conjunctus in Theologicis est*, 1. Cor. 3. v. 11. Rom. 6. v. 1. seq. C. 8. v. 2. seq. C. 12. v. 1. Ephes. 2. v. 10. *Non tamen unus idemq;, sed diversus, eoq; non confundendus, sed studiosè distingvendus est, Etsi in fideli uterq; locum habeat, & peculiare DEI beneficium sit.* Sic enim & *Scriptura distingvit*, 1. Cor. 6. v. 11. Rom. 6. v. 22. Et res ipsa *distingvi cupit*, *Cum* Justificatio *solius DEI in nobis actio sit, à peccatis absolutio, per non imputationem ejus, quod in nobis est, peccati, & imputationem fidei ad justitiam, quæ â nobis non est, sed DEO*, Joh. 6. v. 29. *In instanti fiat quà actum secundum, & fidei recipientis sensum, & si actus ille crebrò continuetur*, Rom. 3. 4. 1. Joh. 1. v. 9. *Perfecta & æqualis in omnibus justificatis sit, ac naturâ & ordine prior sanctificatione sit:* Sanctificatio *successiva interna mutatio intellectus ad cognoscendum, voluntatis ad eligendum, affectuum ad appetendum, facultatum ad exercendum bonum â DEO præceptum sit, & externa etiam actionum emanantium quà actum secundum seu bona opera mutatio, non solùm in nobis,*

sed & per nos novis viribus à DEO instructos ab eo producta, tandem pietatis habitum nobis inhærentem introducens, Rom. 6. 8. 12. v. 2. seq. Ephes. 4. v. 22. seq. Colos. 3. v. 5. 2. Tim. 2. v. 21. 1. Petr. 1. v. 22. 23. Gradus *suos habet, inq; uno perfectior, quàm altero est, Iustificationem sequitur, eaq; posterior est, Cum neminem DEUS sanctificet, quem non ante justificet, & subjectis ab illâ differat.* Justificatio *circa impium versatur, ut terminum à quo,* Rom. 4. v. 5. *Non ut manet, sed ut desinit,* Esai. 1. v. 16. seq. Ezech. 18. v. 21. seq. C. 33. v. 14. seq. Sanctificatio *jam circa justificatum, Ut novis viribus ad agendum instruatur. Forma justificationis est peccati non imputatio, & fidei in justitiam reputatio,* Rom. 3. 4. Gal. 2. 3. *Sanctificationis virium omnium nova immutatio.*

2. *Bona opera non præcedunt justificandum, sed sequuntur justificatum,* Rom. 6. v. 2. 22. *Et ante justificationem nihil boni operis in homine coram DEO est, sed arbor putrida est,* Matt. 7. v. 17. 18. C. 12. v. 33. *Sed non* 1. Ullo modo Causæ justificationis administræ, adjuvantes, præparantes, vel sine quibus non, *dicendæ sunt, Ut* Pontificij, Reformati quidam, Arminiani, Photiniani, *solent, Cum à justificandi actu per certa syncategoremata excludantur, fide, sine operibus: Non ex operibus, sed gratiâ,* Rom. 3. 4. Gal. 2. 3. 4. Ephes. 2. v. 8. 9. *Nec ad justificandum influant, quod veræ Causæ semper facere solent, sed adjuncta ac consequentia justificati sint: Nec via, per quam decurras, propriè Causa Cursus vocari potest: Bona opera autem ex* Bernhardo *sunt via regni, non Causæ regnandi. Eo modo & ordine regnum hæreditabimus, ut in stadio bonorum operum jugiter decurrerimus,* Matt. 25. v. 34. seq. Rom. 2. v. 7. C. 8. v. 13. 17. 1. Cor.

1. Cor. 9. v. 24. 25. Ephes. 2. v. 10. 2. Tim. 2. v. 5. Apoc. 2. v. 26. C. 3. v. 5. 12. Jac. 1. v. 25. *Vt jam* Iren. def. p. 2. t. 7. *Et alibi dixi.*

3. *Nec* 2. Causæ sine quibus non salutis dici debent. *Nam & ex articulo salvationis excluduntur*, Act. 15. v. 11. Ephes. 2. v. 8. 2. Tim. 1. v. 9. Tit. 3. v. 5. *Et conditiones ac requisita hominis, qui salvari debet, sunt*, Matt. 5. v. 3. seq. *Qui sine sanctimoniâ Dominum non videbit*, Hebr. 12. v. 14. *Cum nil coinqvinati cœlum ingrediatur*, Apoc. 21. v. 26. *Non ipsius salutis Causæ, quæ gratia* DEI *& fides sunt.* Dices: Ista *conditio aut necessaria ad salutem est, & sic habetur intentum, aut non est, & sic sine eâ homo salvari potest, quod contra Heb.* 12. R. Aut est *necessaria ad hominem, qui salvari debet.* Dices. *Hoc idem est ac ad salutem ejus. Sic remotio puris ad hominem curandum, & curam hominis necessaria.* R. Si hæc *pro ijsdem & eodem sensu sumantur, ferri possit phrasis. Sed quia & alius ei subest sensus, ut ad Causalitatem trahi videatur, cautè adhibenda, & nonnisi* cum expresse additâ determinatione, aut potiùs ob periculum omittenda est. *Remotio puris est necessaria ad curam, ut conditio in curando antecedenter requisita, sine quâ vulnus ejus non curatur, aut cura non procedit. Sic Sanctimonia necessaria salvando, ut affectio in homine requisita, si capax ejus eamq; exserere queat, sine quâ salus ab eo non possidetur. Multa requisita in subjecto esse possunt, quæ non statim causæ aut media rei in eo sunt*, t. 11. 12. *Nec statim conditiones morales effectuum moralium ad aliquam classem Causarum efficientium reduci necessum est, ut universaliter nonnullos urgere video*, Hulsem. app. dial. c. Calix. t. 109. n. 40. Et C. 12. brev. append. t. 38. Et

dedic. c. Calixt. p. 124. V. t. 13. Nec 3. *Absolutè dicendum*, Necessaria ad salutem ea esse, *ut iterùm* Pontificij, Photiniani, Arminiani, multi ex Reformatis, nonnulli è Lutheranis, ut Chytræus, Geor. Major, Arndtius, Varenius, Calixtus, *ut quidam putant, sed qui nunquam eâ phrasi se usum aut usurum esse publicè protestatur*, in refut. c. Weller. & Hulsem. t. 22. 133. 134. Et resp. ad Epist. Elector. t. 8. Et ad Hulseman. t. 25. *Quanquam studium pietatis, declinare à malo, & facere bonum, necessarium ad salutem esse omninò pugnet* resp. c. Hulsem. t. 25. 28. seq. *Etsi justificato necessaria sint*, partìm *ex mandato* DEI, partìm *ex qualitate regeniti, necessitate consequentis effectus ad suam causam, vivam fidem, sine interno & externo erga DEum, proximum, seipsum, angelum bonum & malum: Quia* nec *Scriptura uspiam sic loquitur, sed omnem concursum operum ad salutem* vel *per modum medij acquirendam*, vel *meriti promerendam*, vel *perventionis obtinendam*, vel *conditionis alicujus assequendam aut conservandam totaliter negat*, Rom. 9. v. 32. C. 11. v. 6. 7. *Totumq́, nostræ salutis negotium gratiæ transcribit, quam operibus opponit*, Rom. 11. v. 16. *Cum omni operanti merces ex merito detur*, Rom. 4. v. 4. *Quod meritum simpliciter à salute rescinditur*, Rom. 3. 4. Gal. 2. 3. V. t. 2. *Quòd si ad salutem consequendam necessaria ea*, vel *ut media*, vel *ut merita erunt. Sed neutro modo. Non priore, sic enim medium fides est*, Rom. 3. 4. 1. Petr. 1. v. 9. *Nec posteriore, sic enim non merâ gratiâ salus obtinget*, Rom. 11. v. 6. *Non ad salutem consequendam sunt necessaria bona opera, sed ad testificandum de jure salutis jam acquisito, ac ostendendam fidem, quâ salvaris. Si etiam phrasis ista, bon. op. s. nec. ad sal. in primo suo con-*

ceptu

ceptu sensum effectus dependentis â suâ Causâ largitur, *quasi nexus & dependentia salutis ab operibus fidei contradistinctis innuatur, & aliter sensus ejus vix concipiatur, non ferri potest phrasis. Hic enim sensus falsus, scandalosus, nec in sacris fundatus est. Nam si ad salutem necessaria bona opera, & in infantibus necessaria erunt, nam & illi salvantur.* Matt. 19. v. 14. Marc. 10. v. 14. Luc. 18. v. 16. 17. *Aut alia ratio salvandi in infantibus, ac adultis erit, quod non. At non, quia nondùm per ætatem eorum capaces sunt. Non tamen ad talem sensum phrasis ista omninò adstringenda, Cum & alium commodè habere possit.* V. t. 11.

4. Nec 4. Per ea retineri fidem & Sp. S. dicendum, *&si* Balduinus, Rungius, Brentius, alijq; *populariter interdum sic locuti: Hoc enim virtuti DEI per fidem adscribitur*, 1. Petr. 1. v. 5. Rom. 5. v. 2. C. 11. v. 20. *Qui DEus stabilit & consummat in nobis bonum opus*, 1. Cor. 1. v. 8. Phil. 1. v. 6. *Et confirmat nos*, 1. Thess. 3. v. 13. C. 5. v. 23. *Christusq; & inchoator & consummator fidei est*, Heb. 12. v. 2. *Posteriora enim fide & Spiritu S. sunt, tanquam fructus. Sed per posteriora propriè non retinentur priora, velut si per poma retineri vitam arboris, aut respiratione animam hominis retineri dicas.* Per mala quidem opera *fides & Sp. S. excutiuntur: Sed non statim* ex opposito *per bona opera retinentur. Non enim opposita* paria sunt, & pariter se habent, *ut alibi docetur, ut ad opposita consequentia statim inferre liceat. Sic mala opera damnant. Sed non contrà bona statim salvant. Per fidem enim ex gratiâ salvamur, non ex operibus*, Ephes. 2. v. 8. Conf. t. 9. Nec 5. Salutem per bona op. conservari dicendum. *Hoc enim etiam fidei & DEO Scriptura tribuit*, 1. Petr. 1. V. *ante.*

Et Cauſa à ſuo effecto conſervaretur, quod contra eſſe debet. Antecedens non conſervatur per conſequens, ſed contrà Conſequens per antecedens.

5. Nec 6. Bonum Chriſtianum facere dicenda ſunt, *Vt* Weigeliani & alij *hyperbolicè interdum loquuntur. Hic enim per fidem in Chriſtum fit, quo filius DEI fit,* Joh. 1. v. 12. *Et è poteſtate Sathanæ ad DEVM reducitur.* Act. 26. v. 18. *Per baptiſmum Chriſto ejusq; morti inſeritur.* Rom. 6. v. 3. 4. Coloſſ. 2. v. 12. *Chriſtumq; induit,* Gal. 3. v. 27. *Et ex non Chriſtiano Chriſtianus fit. Sic infantes baptiſati Chriſtiani ſunt, & tamen bona opera propriè dicta non edunt. Oſtendunt, arguunt, probant, demonſtrant, & declarant bona opera Chriſtianum, non faciunt aut conſtituunt. Sic ex bonis fructibus arbor bona cognoſcitur & oſtenditur, non conſtituitur. Et ex caritate cognoſcimus, quòd in veritate ſtemus,* 1. Joh. 2. v. 3. C. 3. v. 14. 19. 24. C. 5. v. 5. *Conſequentia à Chriſtiano manantia ſunt opera, non principium eum conſtituentia.* Nec 7. Pernitioſa ad ſalutem ea eſſe crudè *dicendum cum* Antinomis, ut Joh. Islebio, *Quod & Evangelicis Eccleſiis affricare* Bellarminus alijq; *volunt, Cum tamen in principio ſtatim errori maſculè* Lutherus *contradixerit, ut è diſputationibus ipſius conſtat. Nam & DEI mandato opera requirentis, & operum naturæ, Et Evangelij ſtatutis ſanctimoniam ab homine poſtulantis,* t. 3. *contrarium id eſt, bona opera pernitioſa eſſe.* V. t. 3. *Si in negotium juſtificationis & ſalutis ea congeras, id pernitioſum eſt. Cum opera in ſe licita, laudabilia, homini neceſſaria, & utilia eſſe poſſint.*

6. Dices 1. Sine Sanctimoniâ *nemo DEum videbit.* Hebr. 12. v. 14. *E. omninò Cauſa ſine quâ non ſalutis.* R.

Subjectum

Subjectum *salvandum sine sanctimoniâ non salvatur, sed sanctum & purum esse tenetur, non spurcatum & inqvinatum, Secùs non salvabitur. Itaq; Sanctimonia conditio subjecti salvandi est, sine quâ ut affectione non salvatur, si ejus capax sit, illamq; exserere queat, t. 3. Sed indè non sequitur, Sanctimoniam ipsius salutis Causam sine quâ non esse. Nec conditio subjecti statim conditio rei in subjecto dici potest. Sic nemo salvatur, nisi perseveranter crediderit,* Matth. 24. v. 13. Coloss. 1. v. 23. Apoc. 2. v. 25. C. 3. v. 11. *Nec perseverantia causa sine quâ non salutis. Nemo glorificatur, nisi ante passus sit,* Rom. 8. v. 17. 2. Tim. 2. v. 12. *Nec passio causa sine quâ non gloriæ. Sine ventre nemo hominum Philosophatur. Nec venter Causa sine quâ non ipsius Philosophationis dicitur, sed hominis Philosophaturi pars & requisitum est.* 2. Patientiâ *vobis opus, ut promissionem reportetis,* Hebr. 10. v. 26. *E. necessaria ad salutem.* R. Patientia ibi *non tolerantiam afflictionum, sed perseverantiam in fiduciâ erga DEUM notat, quæ diffidentiæ & apostasiæ à DEO opponitur,* v. 35. *Et sic fidei aliquam conditionem exprimit, quòd firma & perseverans esse debeat, non bono operi necessitatem ad salutem adscribit. Quomodo* μένειν, ὑπομένειν, & ὑπομονὴ *de perseverantiâ in fide sæpè sumitur,* Matt. 10. v. 22. C. 24. v. 13. Marc. 13. v. 13. Joh. 15. v. 4. 5. 6. Rom. 15. v. 4. 5. 1. Tim. 2. v. 15. C. 3. v. 14. Jac. 1. v. 3. 4. *Et naturâ sui generale* vocabulum est, *persistentiam in quovis objecto notans, non afflictione tantùm: Ordoq; ac via reportandi notatur, quæ per patientiam esse debet, non medium aut Causa, quâ reportemus.* Et licet *tolerantiam notet, tantùm necessaria ea dicitur, ut voluntatem DEI faciamus, & eo ordine, quo voluntas DEI ordinavit, per patientiam nempè, ad promissum*

brabeion contendamus. Voluntatem autem DEI facere totum Chriſtianæ vitæ curſum *notat, eoq́ fidem complectitur, nam & DEI voluntas eſt, ut credamus in eum, quem miſit,* Joh. 6. v. 40. *Unde effectus, ſalus, toti illi tribuitur, cum per Synechdochen potiori in eo parti, fidei, tribui debeat, Quod non inſolens in ſacris eſt,* V. 1. Joh. 3. v. 23.

7. 3. Cum timore *& tremore ſalutem operemini,* Phil. 2. v. 12. *E. timor neceſſarius ad ſalutem.* R. Coexiſtere *debet in ſubjecto ſalvando, non autem ipſe ut cauſa ſalutem acquiret, vel fideles ſervabit, quod inde intenditur. Cum timore fideles operari ſalutem jubentur, non ipſe timor eandem operari dicitur, ſed ex præcepto divino operanti ſalutem neceſſarius eſt, non ipſe eam operari tenetur.* 4. Tribulatio *noſtra æternum pondus gloriæ operatur,* 2. Cor. 4. v. 17. *E. aliquid cauſæ ad eam.* R. Operatur, *Sed non ut cauſa gloriæ, vel eſſentiali effectus cum cauſâ nexu, ſed ut antecedens ad conſequens, & via ſuperanda ad metam ducit. Ad datienter enim ſuperatam tribulationem ingens gloria ex promiſſo DEI in bono Chriſtiano ſequi debet: Ac via eſt, quâ ad eam perveniri debeat,* Actor. 14. v. 21. V. 1. Cor. 4. v. 24. 2. Theſſ. 1. v. 7. 2. Tim. 4. v. 8. *Non cauſa, quâ comparari. Sic tribulatio patientiam operatur,* Rom. 5. v. 3. *Lex iram & concupiſcentiam,* Rom. 4. v. 15. C. 7. v. 3. *Non quòd veræ & propriæ ejus cauſæ, ſed quòd ſequi in ſubjectis ſoleant. Et majus pondus gloriæ de gradu gloriæ, non eſſentiâ, intelligi poteſt, qui operibus comparatur.* 5. Tribulamur *pro ſalute veſtrâ,* 2. Cor. 1. v. 6. *E. paſſiones ad ſalutem faciunt.* R. Non de *uſu aut adjutorio aliorum ad ſalutem promovendam, ſed propriorum operum influxu ad ipſius operantis ſalutem quæritur. Dictum de eo loquitur, quod quis in uſum*

in usum alterius salutis & solatij suscipit. 6. Prædico *Evangelium, ut aliquos ex meis salvem*, Rom. 11. v. 14. *Salvabis te & auditores tuos officio attendendo*, 1. Tim. 4. v. 16. *Qui peccatorem convertit, animam ejus salvat*, Jac. 5. v. 20. *E. opera aliquid ad salutem faciunt.* R. Agunt *dicta de officio & ministerio in aliorum salutem promovendam, quòd ex DEI ordinatione & efficaciâ eò vim & usum habere potest, Et sic ministri salvant instrumentaliter, ut DEI cooperarij, per quos DEVS salvat*, 1. Cor. 1. v. 21. C. 3. v. 5. C. 4. v. 1. 15. Joh. 17. v. 20. Actor. 26. v. 18. *DEVS principaliter: Non a. de causis salutem acquirentibus ex parte hominis sibimet eam comparantis, De quo hi quæstio est.*

8. 6. Bona opera *aut faciunt justum, aut injustum. Si justum, etiam ad salutem requiri dici possunt. Iustus enim salvabitur. Item Christianum facere dici possunt: Iustus enim Christianus est. Si posterius, benè agendo impius aliquis fiet, quod absurdum & contradictorium.* R. Aut *nec justum faciunt, nec injustum, sed justum declarant, ostendunt, arguunt, probant*, V. t. 5. *Iustum propriè facit fides*, Rom. 3. 4. *Quæ per caritatem operatur & se exserit*, Gal. 5. v. 6. *Non Caritas ipsa aut bonum opus, quod justum jam constitutum consequi debet. Quod planè rem non constituit, id nec rem, nec ejus oppositum præcisè facit, sed aliud quid præstare potest, ostendere, probare, arguere, demonstrare. Sic bonus fructus arborem nec bonam, nec putridam facit, sed bonam esse manifestat & probat. Albedo, eruditio, quantitas, hominem nec justum, nec injustum facit, sed aliud quid in ipso præstat, quod cum justitiâ aut injustitiâ nihil commercij habet.* 7. Promissio *vitæ æternæ est conditionata, & conditionem impleri necesse est, si quis salvari velit. E. & opera*

ad ſalutem ut neceſſaria requiri poſſunt. R. Legis *promiſſio propriè conditionata, & operis ac agendi conditione adſtricta eſt, Hoc fac, & vives,* Luc.10.v.28. Ezech.18.v.5.ſeq. C.33.v.15.ſeq. *Evangelica propriè gratuita, & medio aliquo determinata eſt, fide, quà juſtitia & ſalus in Chriſto oblata apprehenditur. Non operanti, ſed credenti,* Rom.4.v.5. *Crede in Dn. Ieſum, ſic ſalvaberis tu & domus tua,* Actor. 16.v.31. *Hoc medium eſſe oportet, ſi quis ſalvari velit,* Marc.16.v.16. Joh.3.v.16. Rom.10.v.9.10. *Nec omnis conditio ſemper cauſalis eſt, de quâ circa opera ad ſalutem quæſtio eſt, ſed & ſubjectiva, quæ qualitatem ſubjecti ſalvandi reſpicit, Quomodo promiſſio vitæ conditionata dici poteſt, ſubjectum enim affectum eſſe oportet, quod vitæ capax eſſe debet. Non enim quovis modo ſe habens promiſſionem vitæ recipiet,* t.3. *Sic maxima promiſſa donata, ſi corruptiones mundanas refugerimus,* 2.Petr.1.v.4. *In Græco nulla conditio eſt, ſed qualitas ſubjecti & eorum deſcribitur, quibus maxima donata prom: ſunt, quòd corruptionem fugiant.*

9. 8. Si non *neceſſaria ad ſalutem opera, E. noxia & pernitioſa.* R. Non *ſequitur. Sunt non neceſſaria, non autem ſtatim noxia. Sic Philoſophia & Medicina ad ſalutem non neceſſaria, non ſtatim noxia & pernitioſa. Non neceſſarium latius eſt noxio aut pernitioſo. Multa non neceſſaria, quæ non ſtatim noxia. Eruditio, ſanitas, robur, agilitas, ars pictoria, ſculptoria, ad ſalutem non neceſſaria. Non ſtatim noxia. 9. Triſtitia ſecundùm DEVM pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur,* 2.Cor.7.v.10. *E. aliquo modo ad ſalutem opera neceſſaria.* R. Triſtitia pœnitentiam *operatur, non ſalutem, & pœnitentia in ſalutem ſtabilis dicitur ratione fidei, quam incluſam habet, Vt toti per Synechdochen tribuatur,*

tribuatur, quod unius partis in eo est, t. 6. *Vel pænitentiam operatur, sed per accidens, ut ulteriorem peccati patrationem prohibens, velut remotio puris sanitatem vulneris operatur, non, quòd propria vereq; dicta Causa ejus sit.* V. t. 7.
10. Bona opera *depellunt Causam corrumpentem fidei & salutis, impietatem. E. possunt dici conservare fidem & salutem.* R. Non sequitur, *quia plus ad conservare requiritur, quàm oppositum depellere vel impedire. Verè conservare actualis influxus in conservandum est, & causalitatem exercet. Oppositum depellere est* tantùm impedire contrarium, ne infestet. *Sed impedire vel avertere oppositum aliquis potest, ut non statim rem conservet.* Sic *impedimenta conversionis, supinum neglectum, malitiosam resistentiam, sarcasticam irrisionem, sophisticam elusionem Verbi Dei homo prudens, & qui consideratè agere velit, pellere potest, Non tamen internè se convertere & immutare,, aut in conversione conservare, quod DEI est.* Sic *obstacula viæ, quà Principi in urbem veniendum, tollere aliquis potest, sed non statim adventum ipsum procurare.* Sic Herodes *libenter audijt Iohannem, & in multis ei obedivit,* Marc. 6. v. 20. *Non seipsum convertit aut conservavit.* Sic *devitatio putei, præcipitij, periculi, ad vitam naturalem non amittendam facit ac necessaria est, sed non statim ad vitam consequendam.* Sic *bona opera impediunt excidium salutis, sed non statim conservant salutem.* V. t. 4.
11. Per mala opera *excutimur à salute. E. per bona servamur in eâ.* R. Non est par gradus & ratio operum, *eoq; non sequitur. Mala perfectè sunt mala, & propria nobis sunt, ac inter ea & mortem æternam proportio est. Bona imperfecta, aliena, & DEI in nobis sunt, & inter ea ac vitam æternam non est proportio.*

V. t. 4. *Etiam per mala opera fides excutitur.* *Nec tamen per bona acquiritur, quæ ex fide manare demùm debent.* Ita *fures, adulteri, ſcortatores, non ingredientur regnum* DEI, 1. Cor. 6. v. 9. Epheſ. 5. v. 5. Gal. 5. v. 21. *Non tamen ex oppoſito ſequitur, non fures, non ſcortatores, non adulteros, ſtatim ingreſſuros. Infantes enim Ethnicorum nec fures, ſcortatores, adulteri, nec ſtatim regnum ingredientur.* Abſtinere *à præcipitio in ignem, aquam, hauſtu cicutæ, veneni, aut aliis vitæ deleteriis, ad vitam non amittendam neceſſum eſt, ſed non perindè ad acquirendam.* Gentiles DEus *è terrâ Canaan ob impietatem ejecit. Sed non contrà Iſraelitas ob pietatem eorum eò induxit,* Deut. 9. v. 4. 5. *Ita voluit* DEus *impietatem morum deſtructivam ſalutis eſſe,* 1. Cor. 6. Gal. 5. Epheſ. 5. *Sed non contrà pietatem conſtitutivam ſalutis, verùm fidem,* Rom. 4. v. 5. 7. 8. Joh. 5. v. 24. C. 3. v. 16. *Nec ſtatim ea actio habitum introducit, cujus oppoſita privatio vel negatio habitum perimit.*

10. 12. Per bona opera *vocationem & electionem noſtram firmam reddimus,* 2. Petr. 10. v. 10. *E. & ſalutem conſervamus.* R. Firmam *facimus, ſed à poſteriori & reſpectu noſtri & aliorum, ut per ſigna, indicia, & teſtimonia, unde nobis & aliis conſtat, nos electos ac vocatos eſſe, velut è bono fructu firmum redditur, arborem bonam eſſe, Non à priori & aut per cauſas aut concauſas, aut media, quod diſſentientes intendunt. Sic enim fide electi ſumus,* 2. Theſſ. 2. v. 13. *Et à tali firmari à poſteriori, ad conſervare non ſequitur. Hoc enim cauſalem influxum importat; Illud tantùm probationem & oſtenſionem. Nec in Græco eſt, per bona op. Etſi vulgatus addidit, ſed abſolutè tantùm, firmam facere, quod non idem ac conſequi ſalutem, ſed curare, ne peccando*

accepta

accepta bona amittantur. 13. Divites *benè operando thesaurizare fundamentum bonum in futurum dicuntur, ut vitam æternam prehendant*, 1. Tim. 6. v. 19. E. *& ad salutem aliquid facere opera dici possunt.* R. Non sequitur. *Ordo, cursus, & via notatur, quà divites decurrere debent, ut thesaurizando apprehendant vitam. Connexio ordinis inter corroborationem fundamenti & nostram confirmationem de secuturo quondam fastigio notatur, non autem velut nexus Causæ & effectus cohærens describitur, quasi per illud thesaurizare ut causam, vitam æternam apprehendant. Bona opera via sunt, quà in regnum* DEI *devehimur, non causæ aut media, per quæ. Signa & testimonia præsentis fidei sunt, per quam justificamur & salvamur*, Rom. 3. 4. Ephes. 2. *Et sic benè operando ad vitam devenimus. Legitimè enim certantibus regnum destinatum est*, 1. Cor. 4. v. 25. 2. Tim. 2. v. 5. V. t. 2. *Non aliis. Sic oblivisci quæ retrò, & futura spectare, qualitas ac attributum in Paulo ad brabeium contendente est*, Phil. 3. v. 15. *Non autem causa consequendi illud.*

II. 14. Ista phrasis, bona opera sunt necessaria ad salutem, ex primâ ac propinquâ suâ impositione *& sensu, populi consensu, more regionis, hodierno ac perpetuo apud* Papistas *usu, & propinquo apud omnes intelligentes conceptu, modum medij moralis, meriti, causæ, concausæ, vel similis cujusdam importat. At tale quid falsum omninò est.* E. *& à phrasi potiùs abstinendum.* R. Ex primâ impositione *ac sensu illum conceptum in Vulgi scil: & idiotarum mente habere queat*, non autem in mente Logicorum & eruditorum, *qui terminum necessarij ex mente* Aristotelis omniumq; Philosophorum, *& significati sui naturâ longè latiorem esse norunt, quàm ut ad causas, concausas, aut*

media ſtringi debeat, cum ad cauſas & non cauſas indifferens illa ſit, & conditiones, requiſita, adjuncta, ſimiliaq́; etiam comprehendere poſſit: Eoq́; talem ſenſum ſub eâ phraſi non ſtatim concipere neceſſum habent, cum & alium ei ſubeſſe poſſe ſciant. Sic etiam requiſita, conditiones ſubjectorum, adjuncta, & diſpoſitiones neceſſariæ, nec cauſæ, concauſæ, merita aut media rerum ſunt. Ita ocreæ neceſſariæ ad iter, via neceſſaria ad curſum, ſi aliquò decurrere velis, & nec cauſa, nec medium curſus, cujus vi ille expediatur. Sic Latinus opus ocreis ad equitandum eſſe ait, & nec merita, nec media cogitat. Calceus honorato neceſſarius ad eundum, nec cauſa nec medium eundi, ſed requiſitum honorati Viri, ſine quo ille non ibit. Remotio puris neceſſarium requiſitum hominis vulnerati in vulnere curando, ſed nec cauſa, nec medium curæ propriè, ſed antecedens, ſine quo cura non ſuccedit, t. 3. Sanctimonia neceſſaria affectio ſalvandi, ſine quâ nemo DEUM videbit, t. 3. & 6. Non cauſa aut concauſa, medium, vel quidquam promerens, efficiens, conſequens, conſervans ſalutis, aut ſimile quid. Sic bona opera neceſſaria ad ſalutem, ſi omninò ita loqui velis, non ſub ratione cauſæ ad effectum, ſed requiſiti ad ſubjectum, quod ſine ſanctimoniâ DEUM non videbit, t. 3. Patientia Viatori neceſſaria ad viandum, ut ſubjecti aliqua affectio, quà difficultates itineris devorare poſſit, ſecundùm illud, Peregrinaturus habeat ſaccum pecuniæ, & duos patientiæ, ſed nec cauſa nec medium ipſius itineris, ſed ſubjecti iter facturi affectio, quò meliùs difficultates ſuperet, cum ſine eâ iter difficilius ei evadat.

12. Ita reſpiratio ad vitam neceſſaria dicitur, non ut Cauſa aut medium, ſed ut effectus aut ſignum à vitâ redundans. Fructus ſuo tempore protruſi ad arborem bonam neceſ-

sarij, ut effecta & indicia bonitatem promentia & indicantia, non causæ aut media facientia vel conservantia. Sic omnia necessaria à posteriori, *Vt propria, consequentia, attributa, effecta, verè necessaria rebus, & sub tali termino à conceptu in mente repræsentari possunt, nec causæ, concausæ, aut media ad rem sunt, nec quisquam eruditorum talibus enuntiatis auditis causæ aut medij conceptum format, sed à posteriori aliquid cogitat.* Sic docile, *flebile, risibile, necessarium ad hominem, rugibile ad leonem, latrabile ad canem, ut affectio manans à subjecto & consequens, non ut causa aut medium constituens, producens, vel conservans.* Unum, *verum, bonum, necessarium ad ens, non causa aut medium, sed attributum necessariò ab eo manans.* Canere ad *Musicum, ædificare ad architectum quandoq; necessarium, si agnosci, videri, celebrari velit, ut effectus aliquis, non causa aut medium, quo constituatur vel conservetur ille. Quomodo iste dicebat, Vt te videam, aliquid eloquere.*

13. Bona opera necessaria ad fidem, *non ut causæ, media, merita, sed ut fructus consequentes eam quibus ostenditur & demonstratur ea viva ac vera.* Impletio *conditionis promissioni adjecta necessaria est ad promissionem consequendam, Vt si 10. aurei à divite pauperi promissi, si flexis genubus Orationem Dominicam recitet, conditio necessariò implenda, si aureos nancisci velit, non tamen ut medium, meritum, aut Causa promissionis, quæ sola donantis liberalitate nititur, sed ut conditio subjecti, sine quâ eos nancisci non potest.* Sic agnitio *peccati necessaria ad remissionem peccatorum,* Psal. 32. v. 5. *Non ut causa & medium, sed requisitum hominis, sine quo eam à* DEO *non impetret. Circumjectio periboli in domo,* Deut. 21. v. 8. *necessaria ad incolumitatem hominis,*

hominis, non ut producens vel efficiens eam, ſed ut periculum prolabendi removens, quod aliàs incolumitati adverſatur.

14. Occluſio tabernarum ſub *concionibus eſt neceſſaria ad ſobrietatem hominum inducendam, non ut cauſa vel medium realiter ad eam influens, vel in hominibus producens, ſed ut neceſſaria conditio, quâ poſitâ continentiam melius ſequi & commodiùs exerceri neceſſum eſt, cum opportunitatem potandi eo tempore reſecet.* *Ita* ſtudium pietatis *neceſſarium ad videndum DEVM*, Hebr. 12. *Non ut cauſa & medium, ſed ut conditio & requiſitum hominis ac ſubjecti, quod DEVM viſurum eſt, quod taliter affectum eſſe debet, ut in ſanctâ vita ad æternum brabeium contendere debeat*, t. 3. *Non enim niſi legitimè certantibus illud deſtinatum eſt*, t. 10. *Locus eſt neceſſarius ad motum, non tamen determinat motum nec dat ei formam, ait* Hulſem. brev. extenſ. C. 20. t. 9.

15. Si bona opera non *neceſſaria ad ſalutem*, E. *ſine illis homo ſalvari poterit, quod apertè contra* Hebr. 12. *eſt.* R. Si non ad ſalutem neceſſaria, Nec ad hominem & ſubjectum, *quod ſalvari velit, tùm hoc ſequitur. Sed huic omninò neceſſaria*. t. 3. *Sic ſi caput non neceſſarium ad Philoſophandum, nec ad hominem, qui Philoſophari velit, tùm ſine eo Philoſophari homo poterit. Sed homini omninò illud neceſſarium eſt.*

Plura alias.

PAR

De superstitioso Corporis Christi, Conceptionis & Assumptionis Mariæ, festo, & similibus, Brevia quædam ANNOTATA.

LECTORI Erudito S. Et Pacem Christi.

Fermè excessu aut defectu in Theologicis sententijs peccatur, CHRISTIANE LECTOR, ut *de Med. Religios.* ostensum. Non absimile præsenti de festis argumento obtigit. *Sunt*, qui universìm festa rejiciunt: *Sunt*, qui nimis augent, & in ipsum DEI cultum arcessunt, ut *t.* 1. ostenditur. Vitium est, nihil credere, & nimium credere: Irreligiosum & superstitiosum esse. *Media* in Virtutibus sunt: & veritas in medio est, ut plerumq; solet. Par est, quędam festa in Ecclesiâ recolendis DEI benefactis solennia habere: Superstitiosa aut fabulis nixa declinare. Rarò enim ibi exempla consistunt, unde cœperunt: Sed cepta superstitio ingentes progressus facere solet. Id in præsente negotio attendendum. Nec semper, quod fit, argumentum esse ejus, quod faciendum sit, cogitandum. Hoc *de festis Commentatione hac* monuisse visum: Exemplo Theologorum, qui de illis disceptandi sibi segetem admetiri moris habent. Classica in Locis Theol. materies, & non uni Theologo pertractata. E *Lutheranis Chemnitio parte 4. Exam. Conc. Tride.* Elegans de festis Tractatio instituta. *Brochmandus* T. 2. L. *Com. Echardus in Pandectis Pontific. Tummius Tract. peculiari de festis, Grauverus disp. d. Corporis Christi festo*, similesq; aliquid de illis tradiderunt. *Ex Reformatis Junius notis ad T. 2. Bellarm. Amesius* T. 2. Bellarm. *enerv.* Et L. 2. *medull. Theol. Chamierus* T. 2. L. 11. C. 19. Et L. 20. C. 5. *Alstedius in supplem. Chamieri & Theol. Polemicâ, Scharpius in Cursu Theolog. & Sym-*

phoniâ p. 4. q 19, 20. *Hoſpinianus d. orig. feſt.* *Rivetus T. 1. Cath. Orthod.* *Martyr in Locis, Crocius in Antibecano,* *Ex Pontificijs Bellarm. T. 2. Contr. L. 3. d. Sanct. C. 10. ſeq.* *Bailius Catech. Controv. Tr. 2. q. 16.* *C. à Lapide in C. 23. Levit. Et C. 33. Sirac.* *Gretſerus T. 2. def. Bellarm. Et L. d. proceſſ.* *Cotonus in Inſtitut:* *aliiq;* ſimiliter materiam tractandi inde deduxerunt. Mihi *breves* hac vice *notas de ſuperſtitioſis quibusdam feſtis* comportaſſe viſum fuit. Diductior tractatio meliori occaſioni reſervata eſto. Digna enim contemplatione uberiore eſt. Quædam huc pertinentia *Tr. d. Communione Sanctorum C. 6.* adducentur. His interim benevolè fruere, *Lector Chriſtiane*, tàm ſuperſtitionem, quám temeritatem refuge, & in pace Chriſti acquieſce. B. V. Elbingæ. 12. Cal. Octobr. Anno 1653.

1.

FEſta in memorias beneficiorum DEI celebrare Chriſtianis *utile*, *& ob ordinem in Eccleſiâ ſervandum, ubi omnia decenter gerenda*, *1. Cor. 14. v. 40.* *Ordoq; aliquis temporum neceſſariò habendus*, Sirac. 33. v. 7. *neceſſarium eſt, ac vetuſti moris conſuetudine à primo poſt Chriſtum natum ſeculo receptâ, approbatum,* *Vt è* Clementis Conſtitut. L. 8. *Si reipsâ ejus ſunt*, Euſebio L. 4. C. 15. *aliiſq; patet:* *Tantùm* Judaiſmus, Libertiniſmus, Fanatiſmus, *quo omne dierum diſcrimen ab Empectis irridetur*, V. Sirac. 33. v. 6. ſeq. Paganiſmus, Papiſmus, *Et* Exceſſus, *qui apud Papiſtas, Ebionæos ap.* Euſebium L. 3. hiſt. C. 27. *Et* Epiphan. hær. 30. *Ac* defectus, *qui apud Atheiſtas, Fanaticos, Anabaptiſtas, Manichæos, Waldenſes, ut illis* Bellarminus L. 3. d. Cult. Sanct. C. 10. *tribuit, Si tamen verè id ſenſerunt, de quo alij dubitant, Vt* Junius, Mareſius, *Vt* de Commun.

mun. Sanctorum, C. 6. dicam; *Et rigidiores quosdam* Reformatos, *Vt* Calvinum, Scharpium, Pezelium, Amesium, *aliosq;, est, Vt* c. l. *dicturus, caveatur, nè Iudaico modo, ritu, superstitione procedatur*, Joh. 4. Rom. 14. Gal. 4. & 5. Colos. 2. Hebr. 9. *Vel scandalum detur, & contra decorum ac ordinem impingatur, vel in totum festorum celebratio omittatur, impugnetur, aut conviviis proscindatur: Sed Circumstantia temporis, modi, externa εὐταξία, ordo, decor, disciplina, unde festa manârunt sæpiùs, institutionis humanæ res est, & in multis in Ecclesiæ potestate sita, Nisi à Christo aut Apostolis festum ordinatum esse constiterit, Vt de die Dominicâ & Paschate quidam non sine causâ censent. De quo* alibi *in doctrinâ de festis monetur, totaq; res pleniùs pertractatur. Quædam* c. l. d. Com. Sanct. *patebunt. Nonnulla* è Natalitijs, t. 21. Paschalib. t. 60. Pentecostalib. t. 52. seq. *patere possunt.*

2. *Sed festa nimis multiplicare, de quo ipsi* Papistæ *quandoq; conqueruntur, ut* Monlucius C. 35. Cler. Reform. Pol. Virgil. L. 6. d. invent. rer. C. 8. aliiq;, Durand. L. 6. Enchir. C. 1. *singulis diebus per annum ultra 5000 sanctorum & festorum occurrere scripsit*: Königstein *DEVM festa & sabbatha Iudæorum molesta sibi dicere ait*, Esai. 1. *Et nescire se addit, an plus tunc, quàm nuuc festa nostra odio habeat*, in Dom. Lætar. p. 1. *Iudaizare, idololatrico modo, fine, ceremoniis, pompis, & illicitè celebrare, Christiano illicitum est, & è gentilium imitatione sæpè sumptum, ut de multis Papistarum festis, ut Candelarum & aliis* Pol. Virgil. *aliiq; fatentur. In primitivâ enim Ecclesiâ paucissima festa fuerunt, ut ex* Augustini ep. 118. ad Januar. *patet. Simile* de superstitioso Corporis Christi festo, *quod die Iovis post Dom.*

Trinitatis Pontificij celebrant, jure dici poteſt, quod totum inter illicita vero Chriſtiano adſcribendum eſt.

3. *Rationes hujus eſſe poſſunt* I. Quia *in puriore antiquitate per annos 1200. & ultrà totum incognitum fuit, & ad an. 1260. vel 62. aut 64. etiam, Incognitum enim, quando præcisè demùm inſtitutum, ut* Gretſerus d. feſt. Corp. Chr. C. *1.* Bellarminus L. 3. d. Cult. Sanct. C. 15. Et L. 4. d. Euchariſt. C. 30. Pol. Virgilius, Onuphrius annot. ad Platin. Crantzius L. 8. Saxon. C. 36. Biel. lect. 49. in Miſſ. alijq; *fatentur, & ad cultum tamen DEI ejusq; partem pertinet, ut ijdem pugnant. Sed cultus novus totus illicitus eſt, & ſolo DEI verbo niti debet, non humano inſtituto.* Deut. 4. & 12. Matth. 15. v. 9. Coloſſ. 2. v. 22. 23. Conf. t. 1. *Quod autem ad cultum DEI in N. T. facit, & hodiè aut ante ſecula aliquot novum eſt, omninò ſuſpectum eſt. Antiquiſſimum enim hic* & primævum *puriſſimum eſt, ut in* Irenic. contin. & alibi *dictum eſt.* Dices: Omnia *feſta aliquando nova fuerunt, ut Purim ſ. ſortium,* Eſther. 9. *Encæniorum,* 1. Macc. 4. v. 59. *Quibus Chriſtus ipſe celebrandis interfuit,* Joh. 10. v. 22. *Feſtum recuperatæ arcis Sion,* 1. Macc. 13. v. 52. *Et quod hic in Pruſſiâ 12. Septemb. pro induciis prolongatis colimus.* R. Priora duo *Veteris Teſt. ſunt, de quibus noſtra quæſtio propriè non eſt, ſed tantùm de Chriſtianorum feſtis, ut t. 1. patuit:* Et *ſuo tempore à Viris à Spiritu S. actis, Mardochæo ac Maccabæo inſtituta, quod de Papis feſta ponentibus nondum à Papiſtis ſatis probatum:* Nec *cultus divini partes fuerunt, ut Papiſtis feſta ſunt,* V. Bellarmin. L. 3. d. Cult. Sanct. C. 10. *Sic huic feſto Corp. Chr. cultum meritorium ac impetratorium adſcribunt:* *Imò* in vigilijs Apoſtolorum *precantur, Da, ut veneranda*

neranda solennitas devotionem nobis augeat & salutem, Et in festo Communi Martyrum, Da, ut per hæc festa æterna gaudia consequamur: Sed certi temporis pro agnoscendo singulari DEI beneficio determinationes fuerunt, quæ humani instituti sunt & esse possunt, t. 1. Sic Iudæi sub Estherâ quidam 14. diem mensis Adar solennem, sed alij Susis agentes 15. diem sibi sumpserunt, Esth. 9. v. 17. 18. Quod non licuisset, si festa ista cultus DEI fuissent, Deut. 4. v. 4. 8. 32. In illo enim non pro lubitu agere licuit, sed ex præscripto. Tertium similiter in Ecclesiâ aliquâ particulari, Prussiâ, temporis tantùm determinatio, liberum quid, & in Ecclesiæ arbitrio positum est, non cultus divinus, aut ejus pars, t. 1. Nec ullâ superstitione hæc festa nixa, ut apud Papistas Corporis Christi & alia, t. 4. 8. 9. seq. Sed legitimis modis ac finibus fundantur. Reliqua festa nostra, ut Natalitia, Paschalia, Pentecostalia, satis antiqua sunt, ut in Natalit. Pasch. Pentecostalib. ostensum: Corporis Chr. autem festum post ann. 1260. demùm introductum, ut Papistæ fatentur: Nec nostra ita absolutè necessaria, ut Papistarum: Nec superstitiosa, ad cultus idololatricos constituta, ut illorum, sed tantùm ad ordinem, ornatum, decorem, ac disciplinam Ecclesiasticam, t. 1. Qualia ab hominibus institui posse certum est.

4. II. Quia prorsùs superstitiosè à Papistis festum illud colitur, circumgestando, ostentando, colendo, & adorando panem capsæ inclusum, reservando, superstitiosis ceremonijs comitando, deducendo, reponendo, asservando eum, missas & sacrificia incruenta offerendo, magno apparatu, pompâ, solennitate, bello interdùm magis, quàm festo instructa, ut & tormenta ac sclopeta displodantur. Quomodo Anno 1622. in Fano fidei in Galliâ ingente ac regiâ pompâ à Rege & pro-

ceribus Galliæ celebratum Gramondus L. II. hiſtor. p. 518. narrat: *Varijsq; ac horrendis abuſibus, Cœnæq; & inſtitutionis ejus profanationibus panis iſte ſub tali cultu & feſto ſubjacet, ut* Tract. d. Pane, ſ. 2. t. 37. 38. *pluribus deductum. Non enim panem in Cœnâ Chriſtus adhibuit, ut deportaretur, reſervaretur, adoraretur, ſed ut acciperetur & comederetur,* Matth. 26. v. 26. *Vnde Panis, quem frangimus, h. e. diſtribuimus, Communio Corporis Chriſti dicitur,* 1. Cor. 10. v. 16. *Non quem reponimus, circumgeſtamus, aut oſtentamus & colimus.*

5. III. Quia *multis apertis ac idololatricis erroribus ut fundamentis hoc feſtum nititur, qui alibi in Theologicis pluribus demonſtrantur, ut* Tranſubſtantiatione *vel eſſentiali mutatione ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam Corporis Chriſti, relictis ſolis externis accidentibus panis ſine ſubjecto ſuo, Vnde totus cultus & honor panis iſtius deducitur:* Accidentium *panis, ut quantitate, colore, figurâ, viſibilitate, extenſione ſine ſubjecto proprio, pane, divinâ ac miraculosâ ſuſtentatione,* Cœnæ *integra mutilatione, Calicis benedicti ablatione & ſolius panis in Cœnâ traditione,* Concomitantiæ *ſanguinis ad Corpus aſſertione, Vt ſi panis accipiatur, ſimùl cum Corpore accepto naturali concomitantiâ & ſanguis accipiatur* Diuturnâ *Corporis Chriſti cum pane extra omnem verum uſum conjunctione ac permanſione, unde Circumgeſtatio illa & repoſitio,* fictis *miraculis ad plebem decipiendam, dolos parandos, miſſas aliosq; errores ſtabiliendos inductis, ac variâ apertaq; Cœnæ corruptione, ſicq; panis iſtius horribili abuſione Vt* c. l. *oſtenſum, & praxis ac theoria apud Papiſtas docet* V. t. 6.

6. IV. Quia *fine prorsùs illegitimo feſtum illud co-*

litur

litur. Non maximè, ut de Eucharistiâ commemoratio instituatur, Christo institutori gratiæ pro eâ agantur, beneficia ejus salutariter recolantur, mors ejus publicè annuntietur, Cœna secundùm Christi institutum celebretur; edatur, bibatur, ut ipse jussit; Hoc enim apud Papistas tali festo non fit, aut rarissimè fit: Sed alij noviq; fines hic ponuntur, ut missæ, oblationes, sacrificia incruenta pro vivis & defunctis instituantur, proventus terræ, fertilitas, temporalia commoda, similiaq; impetrentur, ut ipsa praxis festi in solennioribus locis Papisticis docet. Qui autem finem & usum Cœnæ externum prorsùs pervertit, & nec id facit, quod Christus in Cœnâ facere jussit, sed in alienos & ab instituto Christi prorsùs abeuntes actus ac ritus Cœnam transmutat, veram Christi Cœnam non habet, sed sui cerebri idolum. Cœna enim in usu actuq; à Christo instituto ac mandato, & intentioni ejus conformato, consistit & esse suum habet. Extra usum autem à Christo institutum nihil rationem veri Sacramenti habet. Et sic nec veram commemorationem in Cœnâ Papistæ in tali festo habere possunt, Consequenter nec verum Christi Corpus in capsâ habent, sed merum nudumq; panem, quem circumgestando, ostentando, & colendo, verissimi arto- & idololatræ sunt, & ut DEUM colunt, quod naturâ DEUS aut DEO intimè conjunctum non est, In quo vera idololatria est, Gal. 4. v. 8. Unde rectè Poëta in ipsos: Idolum cerebri quid talibus usus adoras; Salve triticeâ Sacrum sub imagine Corpus! Sicq; totaliter Cœnam & ejus finem corrumpunt, festum idololatricum habent, homines à vero Cœnæ usu, modo, fine, fructu, actu, perceptione, consideratione, commemoratione, ad vana mundi elementa & inutiles Ceremonias abducunt, in quo gravis Cœnæ profanatio est. V. Quia ipsi moderati-

ores

ores Papiſtæ *iſtam circumgeſtationem in primitivâ Eccleſiâ non uſitatam fuiſſe, ab Ethnicorum & Iudæorum ritibus ortum habere, Vrbanum Papam ad uſum, non circumgeſtationem, feſtum inſtituiſſe, in panis adoratione magnum idololatriæ periculum ſubeſſe agnoſcunt, & abuſus ſuperjectos reprehendunt, Vt* Eraſmus, Caſſander, Lorichius, Crantzius, aliiq;, *quos multis* Gerhardus in Conf. Cathol. a. 14. C. 8. *allegat. Quæ hic excipiuntur, alibi videbo.*

7. Dices: 1. Arca fœderis *ſolenniter circumgeſtata & translata à Davide & Salomone fuit*, 2. Sam. 6. 1. Reg. 8. 1. Chron. 15. 2. Chron. 5. *Cur non Evchariſtia?* R. Arca *ſubſtantia eſt, & transferri ac circumgeſtari poteſt: Cœna actus, eſus, hauſtus, acceptio, manducatio, bibitio, eſt, quæ non transferri poteſt: Et ſola aſpectatio panis aut ritus hic non ſufficit. Accipere enim, edere, bibere, à Chriſto juſſum ac inſtitutum eſt.* Nec *quotannis aut peculiari feſto annuo; ſed ſemel arca translata eſt: Et à Viris Propheticis id factum, quales non Papæ;* Nec *ſuperſtitioſo fine*, nec *totantisq; abuſibus adjectis, ut Papiſtæ faciunt*, t. 4. 5. 6. Nec *cultus DEI ejusvè pars fuit, ut hoc feſtum* Papiſtis, nec *pro adorando aut colendo, aut quidquam impetrando circumgeſtata, ſed ut arca in præparatam ſedem ſuam inferretur. Hic autem pro cultu, impetratione, ſupplicatione, Euchariſtia circumfertur.* Et *malè etiam quandoq; circumgeſtatio illa Iſraëlitis ceſſit, cum ab hoſtibus cæſi ſint, arca ipſa capta, & Eli Sacerdos cervicem fregerit*, 1. Sam. 4. v. 3. ſeq. *Vt minùs eam DEO placuiſſe colligi queat.* Arca etiam hic *typus Chriſti venturi fuit, eoq; ad umbras V. T. hoc pertinere potuit*, Hebr. 10. v. 1. *Quas hodiè imitari velle Iudaiſmum reducere eſt, quod in N. T. illicitum, & à quo ſeriò Apoſtolus debor-*

dehortatur, V. t. 1. *Sic & sacrificia ferè adjuncta habuit hæc translatio*, 2. Sam. 6. v. 13. 17. 1. Reg. 8. v. 3. 4. 5. 1. Chron. 16. v. 26. 2. Chron. 5. v. 6. *Quæ hodiè illicita. Nec* Papistæ *ullam veram Eucharistiam hic habent*, t. 6. *Eoq; nec circumgestare eam possunt.*

8. 2. Aut peccavit *Vrbanus Papa festum hoc instituendo, aut non peccavit. Si peccavit*, E. *peccatum erit, Christum peculiari aliquo festo colere & adorare, quod absurdissimum. Cur enim non Resurrectionis, Nativitatis, Ascensionis, festo eum colamus? Si non peccavit*, E. *laudabiliter egit, & consequenter festum licitum ac celebrandum est.* R. Peccavit Papa *non Christum colendo, sed proprio motu electitium, vanum, superstitiosum, & idololatricum cultum introducendo ac præscribendo, qui Christo placere non potest. Colendus est Christus, sed non quovis modo ac ratione à vanis & superstitiosis ingeniis confictâ, sed in Scripturâ præscriptâ & mandatâ, extra quam cultus & colendi rationes nobis eligere aut præscribere mera* ἐθελοθρήσκεια *est, Scripturæ reprobata, & Christo abominabilis*, t. 3. V. Esai. 1. v. 13. 14. *Hic autem modus circumgestando & adorando panem pro Christo, totus idololatricus est*, t. 6. *Ritusq; superstitiosus & Ethnicus est.* 3. Esther & Maccabæus *novum festum instituerunt, eoq; Iudæos obligârunt*, t. 3. *Cur non Papæ idem in Ecclesiâ liceat?* R. Illi *immediatè à Sp. S. acti fuerunt, quod non Papa*, Nec *peculiaris cultus ea festa fuerunt, sed libera certi temporis determinatio, quæ licita*, t 3. Nec *statim quod sub V. T. & servitutis tempore licuit, & sub N. T. ac libertatis tempore licet. Non enim servilibus oneribus ampliùs onerandæ Conscientiæ, à quibus per Christum liberatæ sunt*, V. t. 1. *Sed standum in eâ libertate, in quam à Christo asserti*

ſumus, Gal. 5. v. 1. 4. Vtile eſt, *ut populus de ſummo illo beneficio, quod Euchariſtiæ inſtitutione Chriſtus exhibuit, commoneatur. Hoc commodiſſimè peculiari feſto fit.* R. Hoc feſto Viridium *in Eccleſiâ fit, & ſi peculiare adhuc feſtum hic requiras, ſine ſuperſtitione, errore, & idololatriâ illud celebrandum ſit, quod non apud Pap. fit*, t. 4. 5. 6. 5. Rudiores *faciliùs diſcunt & retinent myſteria ex celebratione feſtorum, ut Nativitatis, Aſcenſionis, quàm ex nudis concionibus.* E. *pro Euchariſtiæ myſterio non inutiliter feſtum eſt inſtitutum.* R. Sine ſuperſtitione *id celebrandum. Et apud* Papiſtas *non inſtruitur populus de Cœnâ, ſed ſuperſtitioſis ceremoniis eluditur, ad abuſum Cœnæ deducitur, & ad alienos ab eâ fines ac perverſionem ejus præcipitatur*, t. 5. 6.

9. *Quod de Corporis Chr. feſto dictum, ei ſimile quid &* de feſto Conceptionis Mariæ, *quod 8. Decembr.* Papiſtæ *celebrant, dici queat. Quod ſimiliter totum* novum, *& circa Bernhardi tempora an. 1130. cepiſſe, ſed non tamen ab universâ Eccleſiâ receptum fuiſſe ante Sixti IV. decretum* Bellarmin. c. I. C. 16. *docet.* Alij *ad Anshelmi Cantuarienſis tempora referunt, Vt* Jacob. de Voragine C. 188. Leg. aur. *Sed* Baronius *in totâ Anshelmi vitâ ne nominare quidem hoc feſtum dignatur, Et* Belethus *longè poſt Anshelmum vivens in explicatione divinorum beneficiorum ejus omninò non meminit:* Falſiſſimâ etiam hypotheſi *de immaculatâ Mariæ ſine peccato conceptione nixum eſt, quæ Scripturæ contraria eſt, quæ omnes homines peccato ſubjicit*, Rom. 3. v. 10. 23. C. 5. v. 12. ſeq. Gal. 3. v. 22. 1. Reg. 8. v. 46. Eccleſ. 7. v. 21. *Solum Chriſtum inde eximit*, Rom. 5. v. 15. Hebr. 7. v. 26. *Et à multis* Papiſtis *ipſis, ut Dominicanis ac aliis negata & impugnata eſt, ut* Durando

do L. 7. Ration. C. 7. *Festumq; à pluribus Ecclesiis non observatum fuit.* Thomas p. 3. q. 23. *Romanam Eccles. & plures alias id non celebrare ait, sed quarundam Eccles. tamen consvetudinem illud agentium tolerare.* *Sed idololatricum mereq; superstitiosum est, tale festum celebrare, quod nec fundamenti realitatem agnoscit, nec peculiare DEi beneficium hominibus præstitum in memoriam revocat, nec primam Ecclesiam instituentem admittit, sed superstitiosis seculis invectum eoq; suspectum est.*

10. *Par ratio* & festi assumptionis Mariæ 15. *Augusti celebrandi est, quod etiam* novum, *idololatricum, in honorem Mariæ institutum, incertum, ac fictitiis conjecturis nixum, & in primâ antiquitate prorsùs ignotum est, nec ubiq;, nec ab omnibus receptum fuit.* Sub Carolo M. *ad Annum 800. dubitatum, an hoc festum recipiendum, vt ex* Constitution. ejus L. 1. C. 158. *patet.* Nicephorus *à Mauritio Imp. institutum ait* L. 17. C. 28. *Qui ad annum 600. regnavit.* *Alij an.* 1240. *in Concil. Lugdunensi festum hoc institutum ajunt, vt* Gerhard. L. 1. Conf. Cath. p. 2. C. 5. p. 370. *Et res ipsa tota incerta est, an animâ & Corpore in Cœlum assumpta Maria fuerit, Vt ex* Epiphanio hær. 78. Augustino ser. 35. de sanct. Sixto Senense L. 2. biblioth. tit. Mariæ transitus, Svaretzio in Thom. p. 3. t. 2. q. 37. à 4. Baronio ad an. 48. *patet.* *Et* Ado in Martyrolo: *Ecclesiam dormitionem Mariæ, non assumptionem, celebrare ait. Vbi Corpus ejus repositum, plus Ecclesiæ sobrietatem cum pietate nescire, quàm incertum inde tenendo docere dicit.* *Quæ ex* Gregorio, Hieronymo, *alijs, pro eo à* Bellarm. *proferuntur, aut à* Valent. Gerhardo in triumpho Mariæ *pro historiæ veritate adducuntur, superstitiosa,*

ſtitioſa, ficta, ac ſuppoſititia ſunt, vt fidem non mereantur, Quicquid Surio *ac ſimilibus videatur: Et inconſequentia ſunt, robur ſequelæ non ſat validum habentia. Sermonem de aſſumptione Mariæ in* Hieron. *Operib. additum ejus non eſſe dudum* Eraſmus, Suaretz, Victorius, Baronius, Bignius, *ex ſtyli diverſitate obſervârunt, & quòd in eo Neſtorij ac Eutychetis mentio, qui diu poſt Hieron. orti, etiam* Sophronij *Hieron. coætanei non eſſe, Vt* Bell. *vult, evincit. Qui mortem Mariæ in dubium vocant, Vt* Valentinus Gerhardus, alijq;, *Eccleſiæ Romanæ fidem vellicant, quam nullam de ejus obitu dubitationem admittere docet* Baronius c. l. n. *11. Multa commentitia hic eſſe alibi in* Theologià Hiſtoricà *traditur. Superſtitioſum etiam eſt, quòd herbas hoc die à Sacerdote benedictas vim dæmones, ſpectra, veneficia, fulmina, fugandi habere ajunt, ut* Wittekindus *docet.*

11. *Simile quid* & de feſto Cathedræ Petri 22. *Febr. dici queat, quod itidem* novum, *& à* Bedâ *primùm nominatur, qui ultra 700. annos poſt Chriſtum vixit, Cum jam valdè in ſuperſtitionem Chriſtianitas inclinata fuit, & quæ ex* Auguſtino Serm. 15. 16. de Sanctis, *adferuntur, ficta, ſuppoſititia, ac malè ſuti centones ſunt, Vt* Eraſmus *rectè notavit: Nec in totâ Eccleſiâ, ſed Romanâ tantùm, cultum id feſtum fuit: In Græcorum enim Menologijs non eſt, ſed Latinorum Martyrologijs tantùm, ut* Baronius not. in martyr. Romanum *obſervat; Nec ab initio, ſed multis poſt ſeculis demùm obſervatum: Totumq; fictitiis hypotheſibus de Petri Cathedrâ Romæ fundatâ, ac Epiſcopatu Vniverſali ibi erecto, ejus ſupra omnes Apoſtolos & totam Chriſti Eccleſiam in his terris militantem primatu, Oecumenico Pontificatu, Chriſti Vicariatu, Papæ Rom. in Spiritualibus & Civilibus dominatu, variisq;*

falſi-

falsitatibus Historicis & Theologicis nititur, ut in Theol. *pluribus ostenditur. Si quis causas etiam instituti festi* ap. Jac. de Voragine in hist. Lombard. C. 45. *inquirat, nihil sani, multa superstitiosa reperiat. Quod idem & de* festo Inventionis Crucis, *quod 3. Maji celebrant, tenendum, quod valdè incertis conjecturis superstructum est, ut in* Passionalibus t. 53. 54. *pluribus docui.*

12. *Ad* ultimum *hic nota,* Nullum festum in honorem Mariæ aut Sancti, *sed DEI, & memoriam tantùm Sanctorum, & actorum, vel mortium in illis, celebrandum, ut moderatiores* Papistæ *ipsi fatentur, ut in* Michaëlib. t.77. *adduxi, &* L. 2. d. fide Christ. *pluribus deducam, Vt reliqui, qui in ipsis Sanctis festi honorem terminari dicunt, Vt* Bellarmin. L. 3. d. Cult. Sanct. C. 16. Cor. à Lapide in C. 12. Dan: v. 1. Bailius Tr. 2. Catech. Controv. q. 16. Et alij, *Vt* de Comm. Sanctor. C. 6. tradetur, *omninò idololatriam aliquam committant. Et festa Sanctorum ad memorias eorum Christianè celebrare licet: Sed non in illis* Judaisare, Papissare, Fanatisare, aut Atheisare, *nimis multiplicare aut decurtare, excedere aut deficere fas est,* V. t. 1. 2. *Vt* in doctrinâ de festis *pluribus deducitur. Superstitionem, errorem, & tyrannidem in festis instituendis ac celebrandis eximere oportet.* Cœtera *Ecclesiæ libertati ac ordini relinqui possunt.*

13. *Rectè festa instituuntur ad divina beneficia recolenda, & grates agendas: Sed* suo ordine, modo, ac numero. *Si omnibus beneficiis peculiaria instituenda, infinita festa exsurgent, quod libertati Christianæ parum conveniens. Et* universalia beneficia *ad universalitatem totius Ecclesiæ Christianæ propriè & per se pertinentia, ut Nativitas, Passio, Resurrectio, Ascensio, rectè ab universâ Ecclesiâ celebrantur.*

Particularia & localia, *certo loco ac Eccleſiæ exhibita, in ſuis Eccleſiis, municipiis, & regionibus recoluntur, ut gregis Chriſti ædificationi & incremento ſine vanitate, moleſtiâ, errore, ſuperſtitione, idololatriâ, tyrannide, conſulatur, quæ ſucceſſu temporum non leviter Eccleſiam infeſtârunt, & Chriſtianæ plebis conſcientias obruerunt. Sic feſtum* 12. *Septembris ex libertate Chriſtianâ hic* in Pruſſiâ *pro induciis ad annos* 26. *continuatis celebramus, beneficium recolentes, & DEO gratias agentes. In* Germaniâ *diem feſtum haberi ajunt, quo pax Oſnabrugæ & Monaſterij inter Cæſarem, Gallos, ac Suecos concluſa eſt Anno* 1648 24. *Octobr.* Reliqua, *quæ hic moventur, ad doctrinam de feſtis in genere pertinent, quam alibi tradere occaſio fortaſsè fuerit.*

14. *Satis compoſita de hac materiâ* Reformatorum Confeſſio eſt in ſcriptis ad Colloq. Thorunienſe, Lit. E. §. de cultu DEI, t. 9. ſeq. Tempora etiam certa cultui publico deſtinata ſunt, *prout nos Diem Dom. per totum annum, & certa feſta ſolennia, Vt Nativitatis, Circumciſionis, Paſſionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentec. obſervamus.* Quin & dies quoſdam Sanctorum memoriæ dicatos, *Vt Mariæ Virg. Michaëlis Archang. Apoſtolorum, feriatos agimus, non ad cultum religioſum ipſismet propriè exhibendum, ſed ut gratiam DEI illis aut per illos præſtitam gratâ commemoratione celebremus, nosq; ipſos ad eorundem imitationem excitemus.* Inſuper Magiſtratui Chriſtiano *cum Præpoſitis Eccleſiæ permiſſum arbitramur, Vt quandoq;* vel *feſta Euchariſtica ob ſingulare beneficium,* vel *dies jejuniorum & precum ob grave periculum aut urgens negotium inſtituere liceat. Poſtea* n. 6. *inter abuſus ac oppoſita Veri cultus N. T. recenſent,* Cum Sanctis

festa dicantur; *templa dedicantur, Vota nuncupantur, Confessiones vel juramenta in eorum nomine concipiuntur.* *Quæ & planè in reipsâ nostra est sententia, Scripturæ, Ecclesiasticæ libertati, & primis purioris Antiquitatis annis apprimè consentiens.* Reliqua, *quæ sequentia & impuriora secula, Superstitio, Idololatria, Vanitas, Tyrannis, Novaturitio, Ignorantia, adjecerunt, missa fieri debent, & ad puriora tempora Corruptiones universas ad fidem adjectas, vel in eam invectas, revocari ac reformari æquum est.*

14. Breviter etiam sequentia monita *hic adverti possunt.* 1. Exercitium divini cultus *in die festo est in Verbo* DEI *mandatum: Celebratio hujus aut istius festi est libertatis Christianæ, nisi à Christo aut Apostolis institutum esse certum sit. Potestq; ratione totius Ecclesiæ liberum esse, Ut tamen huic aut illi privato sit necessarium, qui se bono ordini à legitimâ Ecclesiâ rectè constituto non opponere, sed subjicere debet,* 1. Cor. 14. v. 30. 2. Dies Dominica sanctior est cœteris diebus, *non per se & ut dies, sed per aliud, cultum divinum ei licitè affixum, memorias rerum sanctarum, quas ibi recolimus, Ut Nativitatis, Resurrectionis, aliorum beneficiorum DEI, quæ per accidens ad illum diem, non è naturâ diei, nexa sunt.* Pascha *est primus N.T. Dominicus dies, à quo reliqui arcessuntur. Cultus DEI & historia sacra resurrectionem in memoriam revocat, non ipsa dies in sese.* Plura alibi.

AP-

APPENDIX PHILOLOGICA,

Sive

METHODUS

Latinitatis pro provectioribus.

Id eſt, Manuductio ad ſtudium Linguæ Latinæ, & legendos cum fructu Authores, indeq; excerpta ordine paranda.

LECTORI PHILOLOGO S. Et Pacem Christi.

NUnquam eò ſcientia humana provehitur, *Lector erudite*, ut de defectu queri non habeat. Ex parte nos cognoſcere ac prophetare, in tertio cœlo edoctum Apoſtolum profiteri non puduit. Etiam diſcuſſa nonnunquam latere queunt. Eò à pluribus eandem viam teri in re literariâ, non inutile eſt, Multis, quì in Latinitatis ſtudio per compendia eundum, annotaſſe, cura ac labor fuit. *Methodi* indè, *Didacticæ*, *Compendia*, *Ianuæ*, *Seminaria*, ſparsìm promulgata. Nihil laboribus Doctorum demptum aut minutum eſſe debet. Commune Theatrum Orbis terrarum eſt, cui immiſſi: In quo liberum cuivis decurrere eſt, cui libeat, aut vacet. Ad ſcopum certè univerſi collimant, etiam qui aberrant. *Nec omnia perfecta, utcunq; magnis Authoribus tradita.* Multa etiam puerili inſtitutioni accommodata ex ijs, quæ in publicâ luce, certum:, *Mihi* autem de provectiorum in Latinitate conatu juvando in præſens ad petitum quorundam eſt opella locata, ut quì illi ultrà ducendi, methodo aliquâ, quantum daretur, delinearem. Sæpiùs olim

olim tradita, à multis non sine vitio descripta, palàm edi consultiùs ductum. Pluribus ita facem præluxisse, non minoris fortè interit, ac puerilibus invigilasse. Post varia laborum hic moneri quædam posse, non abnui debeat. *Ordo inprimis phrasiologiæ* titulis certis subdendæ, nondum satis plenè constitutus fuit. Sine eo autem progressum non ita liquidum sperari posse, certum. Illud enim præstare debet, ut in promptu ad usum habeas, si quid ad cultum sermonis profuturum convehere ceperis. Ne per Hercynias sylvas noxiâ fatigatione circumferri necessum sit, ubi justis reconditorijs ordinatè cuncta reposita esse, commodiùs succurrat. *Præter Ordinem* in colligendo tenendum, *& ratio legendi Authores ostensa*, quâ utiliter occuperis. Digna observari, annotari, digeri, certisq; notis ac cancellis includi, utile est. Collecta hic habes, quêis maxima pars eorum, quæ apud Authores occurrant, stringi queat. Sed Consultorem hic ago, non Dogmatisten. Paratus accipere, si quid aut compertius feratur, aut utilius. Undecūq; usus arripi potest, &in partem nostram trahendus. Ad utilitatē vitæ consilia factaq; nostra dirigēda esse, non vanè *Quintil. Dial. d. Orat: C. 2.* censitum. Quę in totum non proficiunt, in partem ad usum conferre possunt. Nullius labor hic carpitur, aut reprobatur. Sed lapidem ostendi utile est, ad quem alius impegit, ne ad eum sequens hæreat, aut labatur. Id ut prçeunte brevi hac manuductione Lectori, quisquis horum meditatis se tenuerit, Deus donet, mecum, *Christiane Lector*, Iehovam exorabis, ac conatui nostro etiam in hoc genere literis commodandi benè apprecaberis. B. V.

Elbingæ, 10. Cal. Octobr. An. 1653.

1.

Verum est illud magni nominis cujusdam Philologi, (Manutij L. 1. Ep. 11.) *Si quis optimè sentiat, non optimè loquatur, plerumq; fieri, vt id, quod sciat, nescire videatur. Nam si scientiam non teneas, rem perdas: Si in vocibus sis sordidus, rerum amittas gratiam. Ac enitendum sanè est Viro literato, monente festivo illo* Arbitro, *vt ab omni sermonum vilitate abscedat. Stilus & elegantia aliqua assumenda sunt, atq; vtilissimæ huic in omnem vitam parti dandæ sunt suæ partes, Vt* Lipsius C. 3. Miscell. Ep. 38. *loquitur. Verum etiam illud* Ciceronis 2. d. Orat. C. 43. *Excellens Orator & Vir bonus sunt ornamenta totius Civitatis. Cæterùm, quo pacto elegantia sermonis comparanda, & Latinitatis studium apud illos, qui alicujus jam in eâ profectus sunt, dirigendum, sequentibus velut generalibus monitis planum fieri possit.*

2. Fideliter, alacriter, & constanter *in studijs agendum est. Hoc syllaba* FAC, *monuisse potest. Ne falaciter, ignavè, aut inchoatè tantùm procedas. Vnde damnum certum, & inchoata suspensos, ac deplorata tristes tandem habeant.*

3. Grammatica Græca & Latina *diligenter & accuratè perlegatur, animo infigatur, repetatur, & in scribendo perpetuò observetur.*

3. *In componendo exercitio* sensus phrasium *accuratè eruatur, & per æquipollentem explicetur, ne Latinè reddentes Germanismi aut Græcismi nobis committantur, aut è Latino in Germanicum vertentes horridum in Germanismo aut alienum sensum inducamus.*

5. *Quicquid*

5. *Quicquid compositum est*, iterùm iterumq; attentè perlegatur, *ad regulas Grammaticas generum & constructionum diligenter revocetur, & si quid vitij commissum, accurato examine investigetur ac corrigatur, animusq; quotidianis emendationibus perpetuò perficiatur.*

6. Latini & Græci Authores *sedulâ manu versandi, in illis stilus & dicendi modus, Latinitas, elegantia ac nitor, curiosè observandus, & quantum fieri potest, exprimendus.*

7. *In legendis authoribus* ad congruum *sermonem & Grammaticam*, ad ornatum *& elegantiam, & ad* civilem *vel Ecclesiasticam prudentiam, prout Scriptor fuerit, attendendum. Et speciali*ùs novem capita *inprimis hic attendenda.* 1. Connexio *paragraphorum observanda.* 2. Stilus, *dicendi modus, genus, & genius in toto authore spirans notanda. Qui valdè in illis diversus. Alius* Ciceronis, Taciti, Senecæ alius, Saluſtij, Curtij, *est.* 3. Prudentia *Politica, Historica, Ecclesiastica, & Practica ex Scriptore colligenda.* 4. Sententiæ *elegantes excerpendæ, animadvertendæ, & certis titulis comprehendendæ sunt.* 5. Phrases *elegantiores enotentur, & sub certos titulos revocentur, ut si ad usum promi debeant, ubi inveniantur, constare possit. Viliores autem & communiores quotidiano usui committantur. Ne confusa aut vaga hic sit lectio, vel etiam desultoria & sæpè interrupta. Hoc pleriq; egerunt, eoq; in multis sæpè parum profecerunt. Vt in simili de Historico studio* Lipsius C. 1. Miscel. Ep. 61. *judicat. Phrasiologiam ingredi sine ordine est mari se committere sine gubernaculo. Vide* Eundem C. 3. Belgic. Ep. 38. 6. Anomaliæ *Grammaticæ si occurrant, observentur, & sub certum ordinem revocentur.* 7. Imitatio *ad Authoris stilum occupetur, & loquendi formulæ per*

mutata, demenda, addenda, ad nostrum propositum deducantur. 8. Sententias *in authorib ita internoscemus, si, quid fieri aut non fieri possit, debeat, soleat, dicant, si morale de virtute aut vitio monitum proferant.* 9. Elegantiam *phrasios ita internoscemus, si, quomodo vulgato loquendi modo ea exprimatur, cogitemus & animadvertamus.*

8. *In componendo* modum aliquem dicendi, Asiaticum, Laconicum, *cui natura & ingenium habilius sit, aut utrumq; alternando, eligamus & exprimamus. Ad id authorem unum seligamus, quem maximè in dicendo imitari deceat. Quem diligentiùs versando, modumq; dicendi in eo observando, exprimamus. Ideam ejus concipiamus, rationem periodorum, connexionum, schematum, & ornamentorum, observemus, ac in aliâ materiâ simile quid conando, ad nostrum usum transferamus.*

9. Apophtegmata, *historias, proverbia, Mythologias, similitudines, apologos, ex omni humanitatis copiâ concinnè in componendo ad nostrum usum accommodemus, ut ex omni humanitate lepos aliquis libetur, ut jubet* Orator.

10. Omnia cum discretione legenda, *non sine illâ promiscuè quævis usurpanda sunt. Multa* obsoleta *& antiquata, multa* anomala *in authoribus occurrunt. Vnde peculiaris titulus fiat singularium quorundam usurpatorum, & alius barbarorum quorundam & fugiendorum, sub quos hæc colligenda, & pro usu observanda sunt, ne temerè adhibeantur.*

11. Phrasiologiæ *maximè in vitâ communi occurrentes undecunq; conquirantur,* & adagialia *in linguâ Germanicâ, Latinâ, & Græcâ, accuratè observentur, & ad sua phrasium loca redigantur. Germanismus item & Græcismus à Latinismo diversus studiosè attendatur & annotetur, ne Latinè*

tinè redditurî Germanismum aut Græcismum, aut contrà, committamus.

12. Mutua loquendi, scribendi, & se Latinè interrogandi exercitia semper vigeant & usurpentur, ac quotidiano sermone nihil in Museo, nisi Latinè, dicatur.

13. Frequenter è Germanico in Latinum, Græcum, & vicissim vertatur, integra etiam authorum capita & historias nostro Marte ac stilo reddamus, & ut possumus, circumloquamur, ut copiam Latinismi comparemus.

14. Diaria ac quotidiana adversaria habeantur, in quibus memorabilia quacunq; occasione percepta strictim annotentur, initialibus tantùm literis aut dimidiatis verbis, aut signo aliquo memoriali, & sequentia omittenda, ut & memoriam ejusq; promptitudinem ex inspectione talium exerceamus, & naturale judicium ac dexteritatem promptiùs perficiamus.

15. Spatium ruminandi & repetendi acta dierum & septimanarum sumatur, ut in quo doctior meliorvè evaseris, observetur, & defectus intercurrens sarciatur, ac quies aliqua ordinarij laboris interjiciatur. Cum sine hac nullus labor diuturnus esse queat, & otia rebus misceri conveniens sit.

16. In Orationibus, Chriis, epistolis, poëmatibus componendis, Exordiorum accurata ratio habeatur, in quibus aut acquiritur rerum gratia, aut deperditur. Pulcrè inveniantur, & prudenter ad nostrum negotium applicentur.

17. Ad copiam Latinismi & Græcismi, Orationem variandi studium inprimis conducit. Hoc dupliciter fieri poterit. 1. Per tempora, modos, casus, variasq; vocum deflexiones & constructionum totam immutationem phrases variare. Vt, Aristoteles omnium Philosophorum est sapientissimus: Aristotelis sapientiam nemo Philosophor. assecutus est

 unquam,

unquam, admirati semper sunt plurimi. 2. Rem propositam respiciendo *in ipsam latius digredi, totumq́ dicendi modum proprio genere vestire & immutare, insertis apophtegmatibus, sententiis, historiis, mythologiis, schematibus, aliisq́ ornamentis, vel per locos inventionis Logicæ & Oratoriæ deducendo, ut cum res ab alio desumpseris, textura tamen tota tua, non alterius, sit. Qui modus operosior & difficilior est. Sic modum dicendi Laconicum in amplum, & vicissim, immutabimus. Ita sumptâ aliquâ Oratione* Ciceronis, Puteani, Majoragij, Mureti, Turnebi, Kirchneri, Junij, Lipsij, Lansij, La-Cerdæ, Baudij, *aut epistolâ aliquâ* Ciceronis, Lipsij, Puteani, Baudij, Arithmæi, *Bembi, Sadoleti, Sabini, Melanchtonis, Calvini, Socini, res retinebimus, verba & dicendi modum totum immutabimus. Idem in Carminib. & Poëtico studio procedit. Confer* Alstedium in Consil. Academi. p. 155.

18. *Ad hoc, quod dictum, feliciùs consequendum & sequens* Viri docti judicium *non inutile erit, quomodo nimirùm Authorum vestigia studiosus sequi debeat. Quod sequentibus consistit.* 1. Primò *Orationem seu epistolam aliquam Viri cujusvis docti sibi proponat quàm exactissimè cognoscendam, lectione aliqvoties iteratâ, & diligenter occupatâ.* 2. Proximum *est, ut quæstionem principalem, quam statum alij,* Cicero *constitutionem, vocant, investiget, & in chartâ annotet.* 3. Mox *præcipuas rationes, quibus ea quæstio explicatur, colligat, numeris distinguat, & ex ordine colloces.* 4. Deniq; *ex omnibus simul collectis unam qvandam ratiocinationem constituat, & in formam Syllogismi redigat.* 5. Rursùs *singulas ratiocinationes ex singulis rationibus constituat, ut summam totius Orationis oculis subjectam*

uno aspectu contueri queat. Quòd *si eveniat, ut altera propositionum sive sumptionum ab authore omissa sit, argumentatione enthymemate absolutâ, ejus omissæ sumptionis spatium vacuum relinquat, ejusq; rei signum, quodcunq; libet, apponat.* 7. His ita *perfectis universam Orationem in partes, partes in membra secet, quoad ejus fieri potest.* 8. Nec *pigeat tractatas ab authore, quæ imitari volet, quæstiones ipsum etiam tractare, eademq; fermè cum illo dicere.* 9. Interim *ne nihil agat, ordinem, si poterit, mutet quæstionis, argumentationum, partiumq; argumentationis cujusq;.* 10. Consequens *est, ut videat, si qua argumentatio etiam à se adjici possit ijs, quas author tractandas sumpserit.* 11. Hinc *paucis collectam argumentationem pluribus explicet.* 12. Quæ *strictìm breviterq; dicta sunt ab authore, ipse copiosè, quæ ubertìm author, ipse angustiùs dicat.* 13. Posthac *quæstionem aliquam isti authoris similimam accipiat, inq; eâ omnem inventionis dispositionisq; rationem in exemplo authoris observatam, quatenus potest, consequatur. In his mediocriter exercitatus subindè de cœteris moneri poterit.*

19. *Quæ hactenùs dicta, simili ratione* in Pöeticis & Lingvâ Græcâ *comparanda observari ac adhiberi possunt, & sub eosdem locos Philologicos annotata Phrasium redigi queunt.*

20. *Quia in authorib. singularia interdùm occurrunt,* Vel observanda, *non imitanda, ut archaismi,* Vel etiam fugienda, *ut illatina, Solæcismi, Barbarismi, peculiarib. hæc titulis annotari queunt, qui hi duo:*

1. *Singularia quædam annotata Philologica, in authorum lectione observata.*

2. *Barbara quædam, Solæca, Obsoleta, fugienda.*

ORDO

ORDO Locorum quorundam Philologicorum, pro disponendis elegantioribus phrasibus in Authoribus observatis & excerpendis.

I.

ACcusare, Excusare, Convincere, Damnare, Absolvere, Probare, Confirmare, Præsumere, Negare, Litigare, Deprecari, Reus, Insons, Defendere, Arguere.

2. Brevis, longus, copiosus, paucus, magnus, parvus, amplificare, contrahere, augere, minuere, Varius, multiplex.

3. Loqui, tacere, Interrogare, respondere, Mentiri, jocari, verum, falsum dicere, canere, vox, garrulus, mutus, silere.

4. Simulare, dissimulare, dolus, astutia, hypocrisis, fallere, callidus, Insidiæ.

5. Salutare, Optare, Maledicere, Valedicere, Gratulari, Precari, Desiderare, Execrari.

6. Blandiri, Amare, Meretrix, Castus, Libidinosus, Amplecti, Venus, Abstinens.

7. Curare, diligens, piger, citus, tardus, accuratè, obiter, otium, labor, officium, officio præesse, incuriosum esse.

8. Sciens, Ignorans, Versatus, Stupidus, Nasutus, Ingenium.

9. Colligere, explicare, profiteri, discere, consulere, corrigere, cogitare, resolvere, inquirere, comparare, seducere, docere.

10. Bellum, Seditio, Hostis, Victoria, Clades, Arma, Miles, Pax, Pugna, Vincere, Vinci, Tormenta.

11. Cibus

11. *Cibus, potus, edere, bibere, temperans, ebrius, dens, heluo, parasitus. Convivari. Iejunare.*

12. *Ludus, voluptas, dolor, ridere, ludificari, gaudere, dolere, tristari, lætum, tetricum esse.*

13. *Pluvia, tempestas, tonitru, ventus, serenitas, imber, nix, grando, & similia.*

13. *Malus, bonus, Virtus, Vitium, Iustus, Injustus, Peccatum, pius, impius, probus, improbus.*

15. *Locus, ager, campus, Vrbs, domus, hortus, castellum, arx, specus, Subterranea, Pagus, Structura.*

16. *Stare, Sedere, Currere, Abire, redire, absentem, præsentem esse, vagari, exulare, repelli, relegari. Fugere, Equitare, Delitescere. Revocari. Obviam fieri.*

17. *Captivus, liber, vincula, mancipium, verbera, pœnâ affici, supplicium, cruciatus, tormentum.*

18. *Orare, supplicem fieri, misericordem, exorabilem esse, misereri, exorare. Inexorabilis.*

19. *Vita, Salus, Mors, status diuturnus, durans, familia, Interitus, Sepelire, Epitaphium.*

20. *Tempus, nox, dies, hyems, æstas, aurora, ver, annus, mensis, somnus, vigilia, dormire, somniare.*

21. *Ira, lenitas, minæ, injuria, furor, crudelis, humanus, ulcisci, indulgere, morosus, melancholicus, cholericus, durus, mitis, clemens.*

22. *Morbus, sanitas, Medicus, infirmus, robustus, medicamenta, vulnus, mederi, curare.*

23. *Illustris, infamis, magnus, vilis, superbus, humilis, honoratus, modestia, impudentia, impudens.*

24. *Audax, timidus, temerarius, fortis, confidentia, metuere, Pusillanimem esse.*

25. Cupidus, avarus, sufficiens, prodigus, parsimonia, invidus. Invidere.

26. Herus, Servus, Magistratus, Subditus, Obedire, Refragari, Cogere, coërcere, Imperare, Punire, licentiâ frui.

27. Tristia, læta, Fortuna bona, mala, prospera, adversa.

28. Audire, Rumor, fama, strepitus, clamor, experiri, gloria, nomen, obscurare, nominare, famosum, celebrem esse. Celebrari. Obscurum fieri.

29. Aqua, mare, flumen, portus, navis, piscari, nautica, inundatio, stagnum, palus.

30. Certus, incertus, dubius, manifestus, obscurus, spes, insperatus, desperare, Providentia, fatum, fortuitum, Casus, destinatum, sors, diffidere.

31. Vana, impossibilia, difficilia, mirabilia, facilia, necessaria, utilis, inutilis, apta, inepta, aliena, ridicula.

32. Macer, Os, pellis, pinguis, Corpus, Caput, formosus, deformis, membrum, monstrum, procerus, gigas, nanus, anima humana, Quantitas Corporum.

33. Arcanum esse, apertum, vulgare, reticere, meminisse, oblivisci, testari, vulgatum esse, ignotum esse.

34. DEus, Numen, Pietas, Religio, Spiritus, Diabolus, Templum, Cultus DEI, Invisibilis, Angelus, Irreligiosus, Atheus, Superstitiosus,

35. Vestis, Corona, Vestire, Luxus, Sordities, Cultus, Neglectus corporis, Luxuriosus.

36. Iurare, Iuramento solvere, Asserere, Negare, Credere, Promittere, servare promissa, vovere, Fides, infidelis, suspicari.

37. Beneficium, Gratitudo, Merita, Compensare, Ingratus.

38. Odium, Amor, Amicus, Inimicus, Notus, Ignotus,

tus, magni, parvi facere, Contemnere, gratum, ingratum.

39. Dives, Pauper, Splendidus, Magnificus, Ditescere, Depauperari, Mendicus, Mendicare; Tenuis, Inops.

40. Liberi, Gignere, Partus, Conjugium, Parentes, Animal, Educare, Brutum, Homo, Insectum, Consangvinei, Affines. Cognati.

41. Ordo, Confusio, Turbare, Ordinare, Error, Opinio, Interitus, perfectum, imperfectum.

42. Calor, Frigus, Lumen, Tenebræ, Cœlum, Stella, Sol, Ignis. Lucescere. Obtenebrari. Vmbra.

43. Sensus, Visus, Odoratus, Tactus, Sensus acer, debilis, videns, cœcus, Corpus densum, rarum, asperum, lœve.

44. Laudare, commendare, Gloriari, persvadere sibi, vituperare, jactitare, increpare, reprehendere.

45. Convitiari, diffamare, illudere, injuriam facere, invidere, calumniari, Momus, Sarcastica, Empectæ.

46. Allicere, commovere, incitare, impellere, impersvasibilem, Rigidum esse, constantem, mutabilem esse, pertinacem esse, Inconstans. Incorrigibilis.

47. Aggredi, Incipere, Impetus, Violentia, periculosum, intendere, remittere, Placidus, Principium, modus, nimium, Evertere, stabilire, Tædium, Gratia, conservare, impedire, Omittere, progredi.

48. Adferre, Auferre, furari, restituere, occultare, manifestare, Proprium, alienum, Amittere, recipere, negotiari, Lucrum, Damnum, Hæreditare.

49. Mores, Consuetudo, Antiqua, Nova, Præcepta, Instituta. Obsoleta.

50. Mundus, Terra, Orbis, Regio, Externa, Patria, Ortus, Occasus, &c. Gentes, populi, finitimi, remoti.

51. *Similis, Dissimilis, Vitare, sequi, juvare, contrariari, Dignus, indignus, Rixare, discors, invitus, coactus, conciliare, discordes reddere, assentire, reprobare, cupere, expetere.*

52. *Declinare, cavere, cautus, incautus, imprudens, pœnitere, occasionem æstimare, concedere, prohibere, considerare, solicitum, incuriosum esse.*

53. *Ætas, Iuventus, Senectus, Infantia, Pueritia, Senex, Virilitas, Repuerascere.*

54. *Auceps, Venari, Feras capere, Fera, Avis.*

55. *Prædicere, Præsagire, Ominari, Prophetare, Vates, Omen. Signa. Ostenta.*

56. *Opifices, Fabri, artes manuariæ, tonsores, Mechanica.*

Si quæ præterea in lectionibus authorum desiderari deprehendantur, quæ his titulis comprehendi nequeant, vel novis adscribenda, vel ad horum analogiam aliquam reducenda veniant.

Tituli Oratorij quidam, & formularum integrarum.

I.

Formulæ Exordiendi in genere. Præfandi. Rationes facti reddendi. Occasionem exponendi.

2. *For: exordiendi in specie de materiâ difficili, facili, intricatâ, periculosâ, obscurâ, planâ, apertâ, controversâ.*

3. *Exord: de materiâ tristi, lætâ, miserandâ, gratâ, ingratâ, odiosâ.*

4. *Exor: de mat: vanâ, futili, obscœnâ, ridiculâ, insulsâ, absurdâ, gravi, dignâ.*

Exor:

5.Exor: de mat: extemporaneâ, non satis meditatâ.

6. Form: petendi attentionem, benevolentiam captandi, conciliandi, Aud. laudandi, Grates pro atten. agendi.

7. Asseverandi, Confirmandi, Probandi, Negandi, probationem declinandi, rejiciendi, eludendi argumenta, confutandi, exagitandi, increpandi Adversarium, Disceptandi cum eo, Impudentiam, calumnias, oscitantiam, obscuritatem, intricationem, & similia arguendi.

8. Amplificandi, Exaggerandi, Minuendi, Extenuandi sua vel aliena, Acriùs commovendi, Attentionem stimulandi, Incitandi, Ad mediocritatem revocandi.

9. Illustrandi, Exempla vel similia adducendi, Allegandi Authores cum laude vel vituperio.

10. Connectendi, unum ex altero deducendi, Thesin ad hypothesin transferendi, digrediendi, transeundi, digressionem excusandi, redeundi ad propositum.

11. Abrumpendi, Concludendi, Finem imponendi, Vota apponendi, Excusandi vilitatem, brevitatem, prolixitatem Orationis, vel temeritatem, quòd aliquis ad dicendum accesserit, aut simile quid.

12. Gratulandi librum, scriptum, Disputationem edenti, laudandi eam, ut pergat, incitandi.

13. In Theologicis velitationibus formulæ & phrases procedendi elegantiores, sententiæ, apophtegmata, historiolæ, similia eò facientia.

14. In materijs practicis, theoreticis, instrumentalibus, Formulæ procedendi, exordiendi, pergendi, sententiæ & historiæ eò facientes. &c.

15. Dedicandi, alijs inscribendi formulæ & phrases. Sententiæ & historiæ ac similia aptè eò facientia.

16. *In solenni conventu, panegyri, actu, festo, funere illustri, procedendi & exordiendi formulæ.*

17. *In denuntiatione & introductione novæ rei, renuntiatione novi officiarij, institutione & inductione novi collegij, ritus, legis, &c. procedendi, exordiendi, pergendi formulæ & phrases. Similia, historiæ, &c. huc facientes.*

18. *Epistolica. Formulæ compellandi, scriptiones requirendi, expostulandi, promittendi, raritatem scribendi reprehendendi, occasionem scribendi sumendi, respondendi. Responsionis tarditatem, brevitatem, vilitatem, &c. excusandi, & similia.*

LOCORVM QVORVNDAM
Politicorum & Historicorum maximè memorabilium Sylloge.

1.

ABortus insignes, Monstra, Degenerationes. Singulares Corporum constitutiones.

2. *Annulus. Ejus inventio. Usus. Abusus. Ornamenta & vestimenta Corporis alia, memoranda, ad usum aut abusum adhibita.*

3. *Amplus, Spatiosus, Capax, Editus. Structuræ memorabiles. Arces, palatia, muri insignes.*

4. *Barbara, barbaries, Crudelitas, Immanitas, Supplicia crudelia, rara, inhumana.*

5. *Bombardæ, Sclopeta, Tormenta, Pulvis pyrius, usus & abusus. Arma bell. varia.*

6. *Bella memoranda, diuturna, crudelia.*

7. *Celeritas agendi. Inopinata. Casus insignes. Casualia. Tarditas, Oscitantia.*

8. Che-

8. *Choreæ. Comœdiæ. Tragœdiæ. Lusus varij.*

9. *Classes magnæ, memorabiles, disjectæ.*

10. *Dexteritas singularis inveniendi, judicandi. Perspicacia. Ingeniositas. Iudicia rara.*

11. *Equites, equestris Ordo, Nobilitas, Privilegia.*

12. *Excidia atrocia, memoranda, clades insignes.*

13. *Exceptio, ingressio, Aditus honorificus, pomposus. Pompæ insignes, Nuptiæ, apparatus memorandi.*

14. *Fames, inedia memorabilis, magna.*

15. *Fides integra, violata, elusa, simulata, dissimulata, silentio tecta, Fidelis, infidelis, Insidiæ, doli maligni, Veritas, Falsitas, &c. Proditio.*

16. *Furta insignia, Rapinæ, direptiones, prædæ insignes,*

17. *Gentes, Gentium mores, statuta, religiones. Germanorum, Gall, Hisp. Polonor. Americ. Iudæorum. Turcarum.*

18 *Inimici, Amici, Inimici conciliati, perpetui. Odia acerba, perpetua, humana, Hostes bellici, contempti &c.*

19. *Invia, Pervia, Fossæ, Viæ, plana, &c. memorabilia, perrupta. Impossibilia in actum deducta.*

20 *Labor, Otium, Sedulus, Piger, solers, inaccuratus.*

21. *Linguæ, Earum ortus, varietas, numerus, præstantia, Usus, abusus, detorsio, contemptus. Literarum, typorum, & similium inventio, usus, abusus.*

22. *Magi, Magica, Veneficia, Præstigiæ, Pœna, Contemptus. Incantamenta. Elusiones Mag.*

23. *Mortes variæ, memorandæ, Autocheiriæ. Cruciatus, Tormenta, moriendi tarditas, Difficultas.*

24. *Magistratus, Princeps, Subditus. Officia neglecta, aut observata, vel imposita, egregiè præstita.*

25. *Nomina, impositio, omina ex nominib. mutationes rum, alienorum usurpationes.*

25. Ob-

26. *Obsidiones celebres, diuturnæ, faciles, celeres.*

27 *Patria. Exotica. Indigenæ. Peregrini, admissi. Exclusi. Hospitia & mores eorum.*

28. *Prodigia. Ostenta. Omina. Mirabilia.*

29 *Quantitas excedens, hominum, brutorum, plantarum, montium, mineralium, aut deficiens.*

30. *Roma. Ejus ritus, statuta, Imperium, vis, lapsus, Degeneratio.*

31. *Strategemata. Elusiones, simulationes, Astutiæ licitæ insignes.*

32. *Tempestas, Venti, Tonitrua, Fulgura, Pluviæ memorabiles, prodigiosæ. Grandines rari.*

33. *Terror, ejus vis in bello, vitâ Civili, amotus, exemptus. Terror vanus, ridiculus, inutilis.*

34. *Virtutes, Vitia insignia, Excessus, Defectus virtutum vitiorum, memorabiles naturæ virtuosæ aut vit: &c.*

Quæ in reliquis *hic desiderari videantur, ex* Polyantheis, Florilegijs, Locis Comm. Politicis & Practicis *facilè sumi possunt. Hic maximè singularia observare satis fuit.*

GLORIA IN EXCELSIS DEO.